SELECTÆ DE FIDE CONTROVERSIÆ.

AVTHORE

P. CÆSARE IO. BAPTISTA COMITINO

THEOLOGO SOCIETATIS IESV.

PARISIIS,
Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam Iuratum, viâ Iacobęâ, ſub ſigno Angeli Cuſtodis.

M. DC. LXV.

Superiorum Permiſſu.

ILLVSTRISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
DOMINO, D.
HENRICO DE MAVPAS,
DV TOVR,
EPISCOPO EBROICENSI,
Regi à Secretioribus Consilijs, &c.

MVLTA sunt (Illustrißime Præsul) quæ me Tibi, meáque deuinciunt. Nam vt omittam Sacerdotales infulas, regnúmq; Christi, quo mirum in modum effulges, VOCE, PENNÂ, VITÂ.

Tuum me fecit inprimis vetus & annosa, quæ mihi tecum intercesßit à puero, necesßitudo, & quæ cum Germano quondam tuo, nobili victimâ Regis, cuius etiamnum nomine glorior, nec hoc tantùm, sed

ã ij

ILLVSTRISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
DOMINO, D.
HENRICO DE MAVPAS,
DV TOVR,
EPISCOPO EBROICENSI,
Regi à Secretioribus Consilijs, &c.

M*VLTA ſunt (Illuſtriſſime Præſul) quæ me Tibi, meáque deuinciunt. Nam vt omittam Sacerdotales infulas, regnúmq; Chriſti, quo mirum in modum effulges,* VOCE, PENNÂ, VITÂ.

Tuum me fecit inprimis vetus & annoſa, quæ mihi tecum interceſſit à puero, neceſſitudo, & quæ cum Germano quondam tuo, nobili victimâ Regis, cuius etiamnum nomine glorior, nec hoc tantùm, ſed

Ioan: Baptista Du Tour, occisus Atrebati pro Rege, à quo nomen Io. Bapt. author accepit in confirmatione.

& sanguine, dico COLIGNÆI *Filiolo, ad vniuersæ Reipublicæ Christianæ gloriam eo tum tempore nato, quo Fidei capitalissimum hostem Pater ad Raabam fudit; quem propterea non* Porphyrogenitum, *quamquam & in eo vena purpurea est, sed* LAVRENTIVM *nuncupo, hoc est in lauro natum. Fuit enimuerò, fuit inuictus ille Dux belli, publicæ salutis author, caput, & causa; quanto facinore pangent olim operosæ sudantésque Musæ.*

Tuum me fecit commune quod habes mecum odium hæreticæ prauitatis, quam etiam acerrimis armis, Deo Téque dignis vbique profligas, tum tuo ipsius lumine, tum Ecclesiastici Seminarij fundatione perpetuâ. Hoc est alterum Familiæ vestræ decus, gentilitiúmque Stemma, Pro Catholicâ Fide pugnare.

Duæ Massæ Herculeæ.

Tuum me fecit solennis & canonica, quam apud Pontificem Romæ nunc quoque perurges nomine totius Ordinis, postulante Rege, totóque Clero Gallicano, Geneuensis Episcopi Sanctorum in album referendi delegatio. Dum enim Fidei defensionem ego qualemcumque paro, Tu defensorem & adorandum proponis in cælis, & imitandum exhibes in terris, tantæ virtutis historicus & actor, testis & hæres.

Ac mihi quidem antiquum illud D. Thomæ sæpè veniebat in mentem, *ut* sinerem Sanctum pro Sancto laborare. *Sed quid facerem tanto patrocinio destitutus? Dicam audacter cum Tertulliano*; horrorem operis, *importunitatem quoque meam*, fructus excusat. *Denique lege titulum*, *Opus est pro Fide*; *Tuum ergo. Ita me spero sanctissimæ sollicitudini tuæ non impedimento*, *sed accessioni futurum. Vale.*

AD LECTOREM.

CVM ego Metis à controuersiis essem, eásque pro more de pulpito Templi maioris explicarem: inuentus est, qui clàm ille quidem, ac de nocte, alter vti Nicodemus, seriò tamen, vt exitus probauit, à me veritatem requireret. Disputaui cum homine multos dies, cúmque placuissent ea, quæ priuati dixeramus, rogauit, vt eo conscriberem ordine, quo dixeramus. Ego qui multis prodesse cupiebam, si qua possem, recepi id me curaturum, cùm primùm licuisset. Verùm opportunitatem otij, cùm antè minimè nactus essem, quàm à concionandi graui semper implicatóque munere paululùm respirassem: inde factum est, vt hoc demùm tempore ad antiqui promissi fidem exoluendam, animum cogitationémque quasi postliminio reuocarem.

Controuersias omnino sex, eásque argumento & disputatione primarias in capita digessi, nec plures, nec pauciores; eo nempe

rationis inductus experientiæque consilio, quo sicuti certissimè noui totidem ad rectæ Fidei plenam intelligentiam esse necessarias; ita mihi quoque exploratissimum est, vel has peruolutanti sufficere, vel planè nullas.

Porrò scripsi Latinè, quò ad plures opera mea perueniret; scripsi paucis, ne prolixitas tædio esset. Scripsi denique stylo, non quo Scholastici solent, acido ac ieiuno, sed quo Patres, acri, atque ad inflammandas hominum mentes idoneo; neque tamen eò vsque disputando prouehor, vt Christianæ non sim vbique, quantum res ipsa patitur, memor charitatis. Quòd si de Caluino loquor asperiùs interdum, ipse in causâ est, vt omnibus ex ipsâ lectione facilè patebit. Neque enim maledicentissimum os, quod ne à suis quidem olim ferri potuit, aliter refelli potest, quàm easmet exprobrando ac quodammodo retorquendo calumnias, quas in nos, effusis, vt ita dicam, habenis, sine lege, sine more, Phanaticorum adinstar intorquet.

Ad extremum, orabo te, quisquis es, qui ad huius elucubrationis qualemcunque molitionem animum intendis, vt æqui boníque consulas, quod bono tuo susceptum, bono etiam tuo successurum in Domino confido. Vale.

ELENCHVS
Controuerſiarum.

Adiectæ ſunt quinque Diſſertationes quaſi Controuerſiarum Appendices.

DISPV-

DISPVTATIO PRIMA.

De Cultu, & Inuocatione Sanctorum.

CAPVT PRIMVM.

Causa scribendi, & partitio primæ Disputationis.

I. IVBES, optime virorum (optimum dico, si veritatem in veritate quæris, pessimum, si fucum facis) iubes, inquam, & iubet ante te Christus, vt quæ tibi concredita sunt in aurem, super tecta prædicentur: quò & fructus, si emergant, sit auctior, & vsus, si constent, facilior. Existimas enim, & id quidem haud injuriâ, rerum diuinarum eandem esse

cum luce naturam, quarum eò radij creſcant magis, quò ſeſe effundunt vberiùs, diteſcentibus animis ipsâ largitione. Equidem parebo libens, atque vtinam parendo pariam vel te tibi, quem adhuc errantem ab vtero, in vtero gerat periculoſiſſimæ Sectæ ſinus. Neque me injuriarum arceſſendum propterea putes, quòd eam Sectam vocem, quæ te medium à Matre ſecuit, à Patre etiam totum; cùm ipſe non ignores nemini Deum Patrem eſſe poſſe, cui Mater Eccleſia non

Math.18. ſit: dicente Domino, *Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Iam Eccleſiam non eſſe Matrem tibi, & probaui dudum, & iterum ex dicendis intelliges.

Querela. II. Atque vt inde exordiar, vnde totius diſputationis initium ductum eſt, Inuocationem Sanctorum tribus potiſſimùm ex cauſis interdicendam putas.

Prima eſt, quòd ab vnius Dei vero ſynceróque cultu mentes hominum abalienet. *Diabolicam*, vocant tui, *ſtultam, atque inanem. Idololatriam* Caluinus, *auctam numero Deorum ſecundùm capitum multitudinem.*

Henni-gius. Beza. Caluin.c. 15, Inſt. §. 16.

Secunda eſt, quòd aduersùs Apoſtoli

doctrinam tot instituat in terris *Mediatores*, tot *Christos*, imò tot *Antichristos*, quot in Cælo Beatos, quos in mediationis partem atque munus ausu sacrilego vocet, cùm vnus sit Mediator tantùm.

Tertia est, quòd nimiæ religionis vitio laboret, cùm eos nequicquam vociferando inuocet, qui non magis audire nos possint, quàm suos Baal. *Quis eò vsque longas illis esse aures reuelauit, vt ad voces nostras porrigantur?* Ita Caluinus; qui & eos dicteriis vbique proscindit indecentissimis, appellitans *vmbras, laruas, colluuiem, monstra, portenta pro Deo obtrusa: quorum* (inquit) *statuæ quid aliud sunt, nisi perditissimi luxûs, & totius obscœnitatis exemplaria?* l. de rat. veræ reformat.

III. Hæ sunt querelæ, hoc hominis ad maledicendum inclytum ac palmare robur; qui quantum à recto veritatis tramite deuius exerret, si pauca, quæ modò responsurus sum, æquâ iudicii tui lance perpenderis, spero te nullo negotio non intellecturum tantùm, sed etiam quid de totâ Sectâ sentiendum sit, ex enormitate mendacii, coniecturâ facili statim assecuturum. Vnum hoc, vnum ante omnia reuoco in mentem, vt ne tibi tanti sit *Via quæ sit inuestiganda veritatis.*

odium nostri, quanti veritas, atque animæ tuæ salus, cui laboro. Nam si *nemo aliorum sensu miser est*, vt optimè Saluianus, multo minùs cuiusquam odio potest esse fœlix, cùm ex Augustino stadium beatitudinis non aliud sit, quàm Charitas. *Omnes enim*, inquit, *currunt, & amor cursus est*. Ergo à charitate tanquam à vero felicitatis initio & fine, disputationem hanc ordiamur. Hic circulus esto; hæc meta laborum.

PARS PRIMA.

De Idololatriæ crimine.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd inuocatio creaturæ sit licita.

I. AC in primis vt atrox illa de multitudine idolorum, nefariáque calumnia pedetentim, & per omnes criminationis suæ gradus elucescat, quæri nimirum oportet à nobis, inuocaríne possit alius à Deo? & qui tandem? etiámne absens? etiámne mortuus? quo denique ritu? hæc enim omnia vos negatis,

tametsi non omnia sint æquè pernegan- *Amicus inuocari potest.* da. Nam si nemo planè inuocandus, ergo cùm amicum amicus, aut matris vbera ieiunus infans inclamat, rei sunt ambo, ille ab officio, hic à naturâ. O te præposterum, si hæc doces; stupidum, si credis; vtrumque, si profiteris! Nisi fortè aliud tibi videtur vocari in auxilium, aliud inuocari auxilium, nouâ grammaticæ vocis vitillatione, quasi Reipublicæ salus vertatur, non dico (vt Demosthenes) vno verbulo, sed vnius præpositionis traiectione (vti scholæ loquuntur) *identicâ*.

II. Ago, inquis, cum amico vt pro re- *etiam absens.* bus humanis, præsentem præsens intueor. Esto, tu tamen alium à Deo inuocas, in quo crimen est, vt putas. Deinde præsentem? Quid si absens absentem supplex implores? oro te, quid hîc dicam, aduerte.

Ex amici vetere contubernio restat in animo tibi, eiusdem effigies penicillo mentis adumbrata, quam in quodam, vt ita dicam, memoriæ scrinio, diligenter asseruas, necnon officiis subinde gratiosus ambísque colísque. En imago, en imaginis cultus, & vt Dio appellat, *ani-*

mi sacrificium. Cor ara est, amor ipse Sacerdos, tu victima.

Agedum ad causam redi.

Hanc amicitiæ inuocationem damnas an absoluis? Si damnas, næ te imperitior hominum nemo est, qui legum atque pietatis omnia latè iura perfringas: sin absoluis, ergo inuocari alius à Deo etiam absens, sine crimine potest: ergo & eius imago seruari. Quid enim interest, vtro sit illa penicillo delineata, manûs an mẽtis, cùm imago sit vtroque modo, & inuocationi cultuíque seruiens vtroque modo? Imò tanto periculosior ista, quantò occultior, intimóque cordi penitùs infixa. Nisi tamen absentis amici, si improbus est, intercessionem admittas; si sanctimoniâ conspicuus, tum demùm iniquè feras. At id quo iure tandem? quis ferat amicitiam inter infideles fidelem, inter fideles infidelem? hîc impiam, quia conuenit Sanctos, illic piam, quia prophanos. Vide iterum quid hîc dicam, imò vide quid hîc dicas.

etiam mortuus. III. Tu homines humi repentes pro incolumitate corporis interpellandos putas, ego pro animæ salute Sanctos super astra collocatos: tu in aulâ gratiosos,

ego apud Deum potentes; tu locis dissitos, ego & temporibus: tu absentes vrbe, ego & orbe; tu per internuntios & veredarios tuos, ego per veredarios Dei tabellariósque cæles̃tes, nimirum Angelos & celeriores & certiores: illis epistolam tu concredis atramento delineatam vicariam tui, ego his precem suspiriis exaratã interpretem mei. Oro, cur amicitiæ Sanctorum non id saltem concedis, quod amicorum necessitudini non recusas? Nam quid habent illi minùs? Vitam? at vita quî deesse possit, quibus Deus ipse vita est? Gratiam? at ipsi regnum sunt Dei, sunt corona. Charitatem? atquin *omnes currunt*, vt iam monui, *& amor cursus est.* *Tanto sollicitiores pro nobis* (inquit Cyprianus) *quanto pro semetipsis securiores.* Fortasse chaos immensum interiectáque cælum inter & terram interualla reformidas? verùm *non clauditur locis* (vt egregiè* Ambrosius) *qui diffunditur meritis*, de quo agemus in tertiâ parte. Nunc vrgeo, nunc caput causæ peto. Si Matrem, si necessarios, si quos aut licet, aut iuuat, quare non hos? Quis furor est id præsidii subsidiique certatim inuidere animæ suæ, tanto dispendio & charitatis, & reli-

August. serm. 29. de Sãctis. l de mortalit. in fine. Verba sunt de suâ immortalitate secura, & adhuc de nostrâ salute sollicita.

* serm. 93.

gionis ? Hîc amici quæruntur: non repugno. Amissum diem sine hac vsurâ cum Tito puta. Sed si hîc vndique quæruntur apud Reges, cur non illic apud Deum ? cur non apud Christum ? Negas amicos esse Christo ? at tales asserit ipse Christus. *Ego*, inquit, *vos non iam dixi seruos, sed amicos.* Negas amicos nobis ? at asserit ipsa Charitas, quæ in cælo viget. Vtrinque curritur, & vtrobique: ibi gloriâ, hîc gratiâ, commercio reciprocæ charitatis, cui etiam natura seruit. Quid est ergo, quare per cõmunes amicos effusa gratia non recuperetur ? Nondum de Mediatoris iniuriâ disputo, quâ de postea; unum hoc premo. Si fauor aulæ terrestris ambitur, si tam assidua sunt aucupia popularis auræ, quare vacat forum cæli? cur, inquam, æterna negliguntur ? tantíne æternitas ignis, & cæli ? tantíne tu, cui negas hanc opem ? nam (vt ait Augustinus) *si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax post triumphum ?* En telum & authoritate dicentis, & ratione dicti peremptorium. Vtinam ad salutem !

Serm. 29. de Sanctis.

IV. At ne quid nimis, ais. At ne quid non ſatis, aio: nunquam enim fit nimis, quod nunquam fit ſatis. Ipſe ſibi Deus modum non præſcribit, *Nimis* (inquit) *honorificati ſunt amici tui Deus.* Et tu miſer homo vis præſcribi tibi? Denique ſicut in eorum amore *modus eſt ſine modo*; ſic & gloria *ſupra modum in ſublimitate.* Omnis hîc exceſſus, defectus eſt. Nemo enim aſſequi gloriam poteſt, quâ digni ſunt, nemo gradum. Eminet cunctis virtus repulſæ neſcia, & cæli ambitu maior, intra punctum non currit: cui etiam meta eſt, hinc immenſitas, inde æternitas, vtrinque Deus. Obiicis aris præferri faces: quid tum ſi & aulis? peti de genu Sanctos; quid tum ſi & Reges? imagines adorari: quid tum ſi ſine crimine? habes & imagines parentum in ſcriniis, in apothecis, in atriis, has non reprehendis, cur illas? ſi tibi probatur memoria boni ciuis, ſi ſtatua, ſi corona militis, cur non & Martyris? Quid? das Cæſari, quod negas Deo? non rectè diuidis. Dictum eſt enim, *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ sũt Dei Deo.* Nam quę clamas perperam fieri, qualia ſunt imaginum ſuggeſtûs, fercula, thenſæ, litui, thura, vota, ſemicin-

etiam adorandi.

Pſ. 138.

2. Cor. c. 4.

Math. 22

ctia, ſodalitia, innumeráque alia; crede mihi, facilè ſine numero dicuntur, quæ ſine ratione confunduntur. Horum omnium exempla ſunt in promptu; ſunt in libro vitę, dico Scripturâ, ſicuti referã ſuo loco. Sed examinanda primùm res ipſa, deinde modus; ſtatuendum priùs an liceat, tum quouſque. Licere contendo, tu negas, & de abuſu querulus expoſtulas: ſed antè videamus vſum, quàm abuſum; nam & bonorum abuſus eſt; imò nonniſi bonorum; quia malorum non abuſus; ſed ne vſus quidem eſt. Quare cùm inuocationem in crimen vocas ex abuſu, iam fateris eſſe per ſe bonam, quanquam aliunde vitiatam; quod in rebus humanis neque nouũ eſt, neque ſingulare. De cætero conuenimus; abuſum enim ſi times, & nos quoque. Nam vt omnia verbo expediam, vſum bonarũ rerum ampleꝯtimur, non abusũ. Verùm ſi propterea tollẽda de medio tibi videtur inuocatio Sanctorum, quòd optima res in deterius abire poſſit; expungenda ſimul omnibus omnia. Quid enim tam bonum, támque conſtans ſui, vt non aliquando peruerſitate hominum obſoleſcat? Vinum ebrietate damnabis, coniugium adulterio, au-

rum auaritiâ, cibum gulâ, teipſum tuâ vitâ. Non enim es, qui eſſe debes, & ſi optimus eſſes, *optimi* (hoc non neſcis) *peſſima poteſt eſſe corruptio. Neque dicamus* (inquit Chryſoſt.) *ne ſint mulieres, ſed ne ſint adulteria, aut ne ſit pulchritudo, ſed ne ſit fornicatio. Item de ventre nulla eſt legitima querela, ſed de ventris ingluuie.* Ita vides non eſſe quærendum an peccetur inuocando, ſed an ipſa ſit inuocatio crimen quale dicis? Quæri, inquam, oportet an rectum ſit; deinde quî rectè fiat. Idololatriam times: nimirum *illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

Homil. 15. in Mat.

Pſ. 13.

CAPVT TERTIVM.

Quòd ſine Idololatriâ fiat hæc Inuocatio.

I. DVo importat hoc crimen: alterum, vt credatur id Deus eſſe, quod Deus non eſt; alterum, vt colatur tanquam Deus. Primum eſt totius Fidei caput. Nemo enim Catholicus credit Deum niſi vnum. Conſtat. Secundum pendet ex primo, cultus ex fide, affectus ex mente, & ex vtroque geſtus, tantum enim colit quiſque, quantum credit. Mens quippe ſola eſt, vt Ambroſio pla-

cet, quæ precibus pretium imponit, auctionatrix & meriti in verâ Fide, & mendacii in falsâ.

Adoratur à Dauide Rex & Deus: quãto discrimine? Si gestum attendis, nullo: si mentem, infinito. Procumbit ante Regis idolum officialis Naaman; si species te mouet, idololatria est; si res, officii necessitas. *Ne respicias*, inquit, *vultum eius, homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Intus, inquam, intus est conscientiæ forum; ibi virtus, ibi crimen, ibi denique cælum & infernus. Esto nunc ad causam, rem attende. Ecce ponitur ante oculos adoratio duplex, altera quâ colitur Deus, altera quâ Dei famulus. Non enim aliunde, nisi quia Dei famulus. In speciem pari salutatione afficitur vterque, sicut in speciem pari salutatione afficitur Rex & imago Regis; at interest quo id animo fiat, quémve ob finem; Nam quia non salutatur hæc, nisi quatenus est Regis; omnis honor ab imagine ad prototypum redit, etiã cum vsurâ. Plus enim est regium erga simulachrum sic affici, quàm ipsum ante Regem toto corpore prosterni. Vulgare est, si corpori ceditur, mirum, si vel vmbræ.

1. Reg. c. 25.

Ita cùm colitur Sanctus, cùm inuocatur, non quia Deus eſt, abſit, ſed quia Dei: refrangitur quodammodo, atque à riuulo, vt ita dicam, fluuius ille honoris refluit in fontem, vnde manauit, magno incremento: ſumit enim ex ſpatio vim, ex repercuſſu vigorem. Domino redundat, famulo quicquid impenditur. Vmbræ eius horrori ſunt. Imagines adorantur non vt Deus, ſed vt res Dei, artificio quodam pietatis in caput reuolutæ? Quid enim fieret ad præſentiam authoris, ſi timor eſt tantus vel ad vmbram peruentoris?

II. Vides itaque propugnari ac quodammodo præſtrui cultum Dei cultu Sanctorum, vt antemurali murum, vt riuulo fontem, vt poteſtate famuli poteſtatem herilem. Ex quo ſequitur in Sanctis nonniſi Deum coli; imò Deo tolli, quicquid illis aufertur, nam *qui vos ſpernit, me ſpernit* (inquit) vna eſt omnium in cælo familia, cor vnum & color vnus, opprobrium & gloria communis: & vt inter amicos, indiſcreta ſunt omnia; Deus enim omnia in omnibus, & omnes vnum in Deo. Quare ſicut eorum decus in Deum redit, ita & contumelia.

Cultus Sanctorum eſt acceſsio cultûs Dei, ſeu firmamentum.

Luc. 10.

Tantùm igitur abeſt vt honor eorum ſit iniuria Dei, quemadmodum volebas; quin è contrario manifeſtè conuincitur eorum iniuriam in Deum vſque redundare.

O formidandam olim contra vos actionem! *Tunc ſtabunt* (inquit) *iuſti aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt*: tunc in jus agent; tunc anathemate percellent. Ait enim, *Apparuit Dominus de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia.* Quorſum ea tot millia? niſi quemadmodum eſt apud Regium Vatem) *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, &c.* Dicent enim, *Hi ſunt quos habuiſtis aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij.* Hæ laruæ veſtræ, hæc monſtra, hæc portenta pro Deo obtruſa. Sic enim exprobraſtis, ſic Dominum in ſeruis ſuis cecidiſtis, improperio tanto pejore quanto falſiore.

Sap. 5. — Deuter. 33. — Pſ. 146. — Sap. 5.

CAPVT QVARTVM.

Quòd ne vllum quidem periculum ſit Idololatriæ.

I. ENIMVERÒ periculum eſt (inquis) ne reuerà pro Deo habean-

tur qui non ſunt dii. Itáne? Sed & periculum majus eſt, ne ſpretis illis ſpernatur & Dominus; facili nempe commeatu vtriuſque contumeliæ. Tu Dei times in nobis iniuriam; ego Dei vereor in vobis multo magis incuriam. Duo itaque cauenda proponuntur; quorum vnum eſt, ne deſtructis imaginibus, obliuione rerum cæleſtium ſenſim ſine ſenſu concidat cultus Dei, quod accidit vobis; alterum eſt, ne iiſdem retentis, earum cultus in idololatriam degeneri ſuperſtitione deſciſcat, quod aſcribitur nobis; ſed in tantâ Catholicæ Fidei luce nihil hac parte pertimeſcendum. Nam ſicuti nullum periculũ eſt ne ſtatuam accipias pro ſtatuario, picturam pro pictore, domum pro architecto, numum pro Numâ, iulium pro Iulio, hoc eſt ſignum pro re & Rege; ita timere non debes, ne imaginem accipiam pro Deo, cùm multò impoſſibilius ſit hanc Deum eſſe, cùm omnes clament hanc Deum non eſſe, ídque ſanctum ſit & Symbolo, & Decalogo, & vtraque Lege, & Catechiſmi de vnius adoratione Dei quotidiano inter pueros alphabeto, quo nihil prius, nihil antiquius, aut auribus inculcatius. Hæc eſt

Duo cauenda.

enim inter templa, Catholicæ plebis & pubis perpetua cantilena: *Deum vnum adorabis*: hanc nemo omnium ignorat. Postremò in eam tota fides, quãta quanta est, omnibus neruis, omnibúsque linguis incumbit, nec aliunde colitur à nobis Martyr Dei, quàm quia Martyr est vnius Dei, pro cuius vnitate vindicandâ occisum & meminimus & gratulamur.

c. 2. *Quis est* (inquit Hieronymus aduersùs Vigilantium) *quis est, ô insanum caput, qui Martyres adoret? quis vnquam hominem*

Hist. l. 4. c. 14. *putauit esse Deum?* Et Eusebius de Iudæis metuentibus, ne Polycarpus pro Deo à nobis haberetur. *Illud* (inquit) *miseri ignorabant, nos præter Christum qui verè Filius Dei est, neminem adorare.* Hæc est Fides nostra, hic sensus, hæc mens omnium; sine quâ non dico neminem esse Catholicum, sed vereor vt sit etiam homo, si inter Catholicos sentiat secùs.

Idolum antè fingitur mente quã rotâ. II. Iam verò si talis est Fides, quæro an existimes posse Sanctum aliter credi, alitérque coli, diuortio mirabili voluntatis à mente, vel affectus à sensu? Quid? insciis, incogitantibus, repugnantibus nobis, denique sine conscientiâ fiet crimen in nobis sine nobis? Mentietur mens non

non tantùm fronti, ſed etiam ſibi? Nouum commentum affers, chimæram non hominem, monſtrum, inquam, inauditum, inuiſum, hactenus. Pugnant enim hæc duo; crimen corporis, & innocentia mentis; neque idolum poteſt eſſe, niſi mente fingatur, & antè mente, quàm manu vel rotâ. Quid ais? poteſt aliquid adorari? Poteſt vt Deus à nobis coli, ſi à nobis non creditur Deus? Reſponde audacter. Idololatria, prout ab omnibus definitur, eſt quâ quod non eſt Deus, habetur vt Deus, ſeu metu perſequentis, ſeu temeritate peccantis. Fateor enim idolum adorari poſſe præ metu, etiam contra conſcientiam. At hîc quid ſimile, quid vicinum? Cogor, an cogo? Quam perſonam imponis mihi? Vis coli à nobis vt Deos? Sed non creduntur dii à nobis? Vis cogi nos præ metu? Sed nemo nos cogit.

Quid quòd ab hac ſuſpicione vos ipſi Romanam Eccleſiam iam dudum abſoluiſtis? Sic enim habet Lutherus in articulo Confeſſionis Auguſtanæ 21. quo confitetur *intercedi pro nobis à Sanctis, eorúmque feſta piè celebrari: inuocationem autem ſe neque probare neque improbare.* Sic

Citatur à Synodo Montis-pessul. art. 15. an. 1654. etiam Synodus Charentonia. *Cultum imaginum ferendum putamus, nec quæ ante eas obeuntur, preces, idololatriæ superstitionisq; notandas.* Idē censuit Daliæus, idem Montis-pessulani Synodus, idem Caluinus. 3. Instit. §. 34. *Neque tamen*, inquit, *eâ superstitione teneor, vt nullas prorsus imagines ferendas putem.* Idem denique totius hæresis antiquissimum caput VVicleffus. Apud VValdēs. tom. 3. tit. 12. Ait enim *non esse illicitum orare Sanctos, sed solùm inutile ac superfluum.* En vt retia contrahunt securi prædæ aucupes. En defensio quâ maior nulla sperari possit à nobis. Verè enim *inimici nostri sunt iudices.* Deuter. 32. Nam si ferendæ sunt imagines, quomodo sunt portenta pro Deo obtrusa? aut si portenta sunt, quomodo ferri debent à Christianis? Luc. 19. *De ore tuo te iudico serue nequam.* Caluine quid ais? quadrántne ista? Ferendas esse, & nihil aliud esse *nisi perditissimi luxûs, & totius obscœnitatis exemplaria?* Preces quæ ante eas obeuntur, nihil habere superstitionis aut idololatriæ, & cultum esse diabolicum, deósque numerari secundùm capitum multitudinem? Quid hîc dici potest, nisi quod Regius Vates dixit: Ps. 26. *Et mentita est iniquitas sibi: de eodem ore procedit benedictio & ma-*

lædictio; de eodem foramine foris emanat dulcem & amaram aquam. Iacob. 3. Vtrumque enim contenditur à vobis & sacrilegum & non sacrilegum, & ferendum & non ferendum. Cui autem credimus, neganti an affirmanti, cùm vnus & idem sit qui negat, & qui affirmat?

CAPVT QVINTVM.

Pars prima concluditur.

I. PAtet itaque criminis ne vmbram quidem apud nos residere. Et tamen hæc est illa celeberrima totius origo diuortij. Quoties enim quantísque actionibus eam ob rem conclamata declamatáque nostra salus? imò cùm cœpi, nonne tuæ disceptationis hoc princeps ac primarium caput erat DE IDOLOLATRIA, quod quale sit, vides, videbísque cætera, si das operam, huic planè consimilia. Sed etsi mendacium aliud non esset, quàm hoc vnum, enimuerò peroraui. Fides enim mendacium nescit, neque calumniâ niti potest columna veritatis; nam si semel errori patet, semper patet. Alterum è duobus: Aut semper vera est, aut nunquam secura. Quid ergo

tu? Vsque adeóne parum cautus es, vt in ipso limine detectâ tantâ falsitate, gressum non suspendas, immemor salutis æternæ?

Vrgetur conclusio.

II. Nam si in portâ canterium est, si ab ipso iam inde portu naufraga ratis illisa subsidit, quæ non in alto syrtes, quæ saxa non metuenda posthac? O si perpenderes! O si de Deo, déque æternitate seriò cogitares! Nimirum in his infœlix salebris haud vsque laborares, parcus in puncto, prodigus in toto: vacat enim Deo Deus, & hæres cæli cælestium amans, emicat è mapali, neque timet offensam, vbi procurat officium conscius sui. Da gloriam Deo. Putas, mundo valediceremus tot æternitatis candidati, si mundum amaremus? exules à nobis ipsis, & voluptatum imperiti, & opum nostrarum voluntarii naufragi? Et si mundum non amamus, vnde, nisi quia Deum amamus? Iam si Deus charus est nobis, si præ illo cætera nihil arbitramur, nisi vt stercora, Deo nos vicissim esse charos oportet; & quomodo Deo chari sumus, si non in eius amore casti? Aut quâ ratione casti, si tot erga Deos adulteri? Scio, scio: neque ista

creduntur à te, nec credimus credi; ſed hæc eſt infœlicitas tua, vt non tantùm agas contra fidem, ſed etiam contra conſcientiam tuam, vtroque & miſer & malus. Sic enim veritatem in iniuſtitiâ detines intus & foris, hæreticus tibi ipſe. Verùm hoc alterius eſt fori; neque cenſuræ meæ.

PARS SECVNDA.

De Mediatoris iniuriâ.

CAPVT SEXTVM.

Mediator qui ſit, & quòd in Eccleſiâ Romanâ non ſit alius præter Chriſtum contra calumniam Caluini.

I. DIſputas ſecundo loco de gratiâ Chriſti Mediatoris, quam contendis obſcurari à nobis, atque adeo penitus extingui, quòd eam in omnes nullo diſcrimine partiamur. Perire nos multitudine medicorum: Hoc primum. Exinde nullam à nobis haberi rationem meritorum Chriſti, qui noua, qui noſtra, qui aliena ſuperinferamus: Hoc ſecun- *Querela.*

dum Denique *euacuari crucem* (cito verba) *conculcari sanguinem Christi*; *vix ei nomen relinqui, sanctulum cum de turbâ, cuius in omnibus hymnis, litaniísue nulla fiat vnquam mentio à nobis*: Hoc tertium. Itaque si vera sunt, quæ dicitis, & Christo dignitatem, & merita, & postremò cultum sacrilegá precum æqualitate, vel etiam, quod multò peius est, æternâ tanti nominis obliuione suffuramur. Hæc sunt exaggeratæ succrescentísque calumniæ noua robora; quæ quidem quàm ex omni parte discedant à veritate, tu si iudicas, & vt iudices, oro, cognosce.

In quo consistat ratio Mediatoris.

Hug. Prat. serm. 1. S. Leo. serm. 10. de Natiuit. Ric. à S. Vict. part. 1. de Emmanuele. Taul. prepar. ad fœlic. mortem.

II. Ac inprimis, cui Catholico, cui Christiano venit vnquam in mentem, alium à Iesu Christo Domino nostro seu credere, seu profiteri Deum simul & hominem? Nam hoc sonat & Redemptoris, & Mediatoris, & postremò Christi nomen. *Vt iusta fieret satisfactio, oportuit quòd Deus esset & homo simul: Deus qui posset, homo qui deberet.* Sic Hugo. Leo autem: *Nonnisi* (inquit) *vtroque.* At Victorinus. *Hic est summus, hic singularis humanæ restaurationis modus. Hæc est denique fides*; concludit Taulerus. Fides, inquam, omnium omnibus linguis li-

brísque celebrata, quam Concilia, quam Patres, quam anteacta secula tenuere, & tenemus. Lege Instituta; lege Symbola. Vnum hoc vbique quasi fidei lemma: DEVS VNVS, CHRISTVS VNVS.

III. Quid ergo? Túne reclamantibus vniuersis aliam impones nobis fidem ignotam antehac, inconditam, inauditam, inuisam, inimicam, à quâ multò magis quàm à morte abhorremus? Disputabísne de sensu nostro contrà sensum nostrum? De fide contra fidem, omniúmque professionem? Cui credimus? & in quem? Cui militamus, & propter quem? Cui quotidie morimur per vestram gloriam? A quo postremò Christiani dicimur? In cuius, inquam, nomine baptizati, vncti, consecrati sumus? Cuius sanguine refecti? cuius corpore saginati? cuius signo denotati? Quid ais? Non erubescis auditis insulsissimæ calumniæ confutationibus tot & tantis? Dicésne non dubitari de fide nostrâ, sed de exercitio fidei, déque cultu Christi, cui alios Mediatores penè ex æquo sufficimus? Itáne ex æquo? Quid? Etiámne Deos? Etiámne medios, & æquales Patri naturâ & personâ? Quis hoc vnquam

Ecclesia non nouit nisi vnum Christum Dominum nostrum Iesum.

Instantia.

ſomniauit? quis edidit? quis credidit, non dico hominum, ſed ne dæmonum quidem, qui credunt & contremiſcunt? Ergo non parem exhibemus, ergo non ſanctulum de turbâ, non conculcatum, non prophanatum, nec Chriſtum (vt inſimulat Caluinus) titularem ac nomine tenus: ſiquidem & ei perſonæ dignitas, & naturæ ſingularitas, & ſatisfaciendi poteſtas ſoli ſola, integráque relinquitur. Æquáſne homines Deo? ſeruos filio? creaturas Creatori? Nullúmne ſpatium, interuallum atque diſcrimen putas inter domum & architectum? vt Pauli verbis vtar.

Vrgentur Dilemmate.

IV. Sed audi qualiter ego te, tuóſque conficiam hoc ineluctabili Dilemmate. Euacuari crucem, conculcari ſanguinem interceſſione Sanctorum, vel ſeriò credis, vel omnino non credis. Vtrum? Si ſeriò credis, quâ fronte paulò antè dixiſtis rem eſſe ferendam, nec illicitam, nec ſacrilegam? Quid? euacuatio crucis inter ἀδιάφορα reponenda tibi videtur? Conculcatio, prophanatio ſanguinis, atque exinanitio Chriſti inter tolerabilia? Tantíne fides? Sic vileſcit Deus? ſic & Chriſtus? Si ſeriò non credis

(quæ altera pars eſt) quâ charitate, quâ lege tam nefariam immerentibus innoxiiſque dicam impingis; tamdiu, & tanto cum furore? Purga calumniam: proba quod dicis. In ius voco. Ago te reum iniuriarum. O vos miſeros, ſi conuitiis tatummodò fortes eſtis & diſerti! non eſt maledicentia, mihi crede, non eſt eloquentiæ, ſed erroris architecta. Sic clamore agitur inter mulierculas, cùm ratione non poſſunt. Nemo meretrice altiùs clangit. Nemo *apoſtatâ* (ſi Sapientem audis) *loquitur peruerſiùs, qui* (vt ait) *omni tempore iurgia ſeminat*. Noſti prouerbium quo dicitur is, qui nimiùm probat, nihil omnino probare. Prou. 6.

V. Quòd ſi innocentes etiam hâc ex parte ſumus, vt patet, qualis erit iſta tua religio, quæ ex tam iniquis ipſa criminationibus tota coaluit? Hîc ego tuam rurſus appello fidem. Ad æquitatis, ad conſcientiæ tuę confugio tribunal; à teipſo, inquam, ad teipſum, vt ſententiam feras non pro me, *cui minimum eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, ſed pro te in causâ æternitatis. Dum enim agnoſcis, ignoſcit Deus: dum accuſas, excuſat. Ergo nunc audi quid rogem te. Credíſne

Concluditur argumentum.

1. Cor. c. 2.

verè alium à Christo Christum credi à nobis, alium adorari Deum? alium Redemptorem agnosci? Da iterum gloriam Deo; de proximo tuo iudica secundùm æquitatem. At alii Mediatores, inquis, dicuntur à nobis, cùm vnus ex Paulo Mediator sit. At insto; ipse ille Paulus qui vnum dixit, alterum dixit; nempe Moysen (*in* Gal. 3. *manu* (inquit) *Mediatoris.* Si vnus est, quomodo cum illo & alter est? Quid ais? Quà euades? Sed do effugio locum.

Nomen Mediatoris non conuenit Sanctis nisi æquiuocè.

Neque enim nouum est vt eodem nomine dicatur res & signum, licèt non eâdem ratione. Nam etsi multi sint dii, tamen vnus est Deus. Si multi, quomodo vnus? Et multi sunt, & vnus est. Etiam pictura dicitur homo, & non est homo. Est & non est: quid hoc rei? Est secundùm similitudinem, non est secundùm veritatem.

Si comparas Christo Sanctos, extremi sunt, nouissimi sunt, nullo modo sunt: si nobis; habes medios & sequestres inter Christum & nos. Iam si intercedunt vt Iob, & vt Moyses, si patrocinantur, ergo Patroni sunt, ergo Medii. Nam ab actu

valet regreſſus ad potentiam, & quod fit, fieri poteſt. *Mediator enim eſt* (inquit Bernardus) *& ſi dici poteſt, vniſſimus. Verùm ad Mediatorem illum vnum, Mediatore opus eſt; ad viam duce, ad veritatem indice.* Vides vnum, atque adeo vniſſimum dici, & tamen ad hunc vnum vniſſimúmque Mediatorem, aliunde ducem, indicem ac Mediatorem requiri? Sunt enim alii non via, ſed viæ via; nec Chriſtus, ſed ad Chriſtum. Iacet itaque caſſo vulnere & ſine ictu hoc primum exangue telum. Serm. de Beatâ Virgine, qui incipit, Signũ magnum.

CAPVT SEPTIMVM.

Refutatur ſecunda calumnia de inſufficientiâ meritorum Christi.

I. SEd & ſecundum de inſufficientiâ meritorum Chriſti nullũ eſt quoque. Nam ſi Deum agnoſcimus, immenſum oportet agnoſci pariter & merito, & dignitate, cùm Deus ſit. Aureo ſcatet è fonte riuus aureus, & *qualis radix, tales & rami.* Aug. *Non aſpicias* (aiebat Publius) *quàm plenas, ſed quàm puras afferat manûs.* Denique vt eſt in prouerbio, *A bonis bona*: à Deo autem nihil non diuinum, ipſe enim Agnus eſt, qui tollit peccata mundi,

ipse splendor Patris, & lumen, & tota gratia. Audi Theologiæ nostræ caput Thomam. *Paßio Christi non solùm sufficiens, sed superabundans satisfactio fuit pro peccatis generis humani.* Audi Pontifices non iam Theologiæ, sed Ecclesiæ prima capita; quibus à Sanguine Christi tanta est vbertas, tantáque gratiæ plenitudo, &, vt ipsi loquuntur, *profluuium*, vt *vel vna gutta centies mille mundorum redemptioni* par sit soluendæ. En iterum fides. Sic docuere. Sic docemus. Vnde ergo tu criminaris? Quid? Non sufficit quod redundat? quod superefluit? quod sine mensurâ est? Tu de fontis ariditate litem moues, vbi profluuium est? mensuram quæris, ego do immensitatem. Tu redemptionem vnius mundi cogitas, ego centies mille mundorum, vel vnius guttulæ pretio. Si tanti gutta, quanti pelagus? Si verbo fecit omnia, *ludens in orbe terrarum*; quid non refecit, ipse patiens in Cruce?

part. 3. q. 48. a. 2.

Clemens VI. l. 5. titul. 9. de pœnit. & remiss. c. 2.

Pius IV. an. Iubil. c. 14.

Instantia. II. Cur ergo (inquis) alii atque alia quæruntur à vobis? & ego insto, cur à te quoque alii atque alia? Responde tu tibi; si sufficit, si redundat, quare præter meritum Christi, requiris & Fidem Christi?

nam *ſine fide impoßibile eſt placere Deo,* Hebr. 11.
Quare & prædicationem Verbi? *Quomodo enim audient ſine prædicante?* Quare & aquam Baptiſmi? *niſi enim quis renatus fuerit ex aquâ, &c.* Quid ad ſanguinem aqua? cur iterum mergendus, ſi iam emerſiſti morte Chriſti? cur abluendus, ſi iam lotus es? Dicéſne hæc à te requiri, non vt noua merita, ſed vt noua ſigna? Eſto, de quo non diſputo modò: tamen requiruntur. Vnde? ſi meritum eſt infinitum. Ecce litrum exhibuit Chriſtus pretii, vt fatemur omnes, immenſi. Si immenſum eſt, ſi exhibitum, ſi in commune datum, quî fit vt pro tam paucis ſit acceptum? quid hîc dices? quò te vertes?

Rom. 10. Ioan. 3. *Vrgentur.*

III. Ego ad hæc omnia facili expeditáque viâ, nullo negotio reſpondeo. Sic viſum Superis. Sic placitum Deo, qui in has conditiones repropitietur nobis. *Adimpleo* (inquit) *ea quæ deſunt Paßionum Chriſti.* Adimples? tu qui ſeruus es? Chriſti qui Dominus? ea quæ deſunt? nam quid Sanguini deeſt infinito? Vis audire quid? *Sanguis tuus, qui & clauis eſt Paradiſi.* Hac nempe conditione cautum eſt, non defectu meriti Chriſti, abſit: ſed

Difficultatis enodatio. Coloſſ. 1 Tertul.

arbitrio acceptantis Dei: nam etsi meritum sit infinitum, acceptatio tamen est finita, certísque tum personis, tum etiam temporibus, locis, circumstantiísque circumscripta. Hæc est (inquam) plana mihi facilísque responsio.

At tu qui nihil addi posse putas, superaddis tamen, vrgeris vndique, & dum concedis, simúlque negas, medio quasi suspensus, tantùm non crepas miser. Interrogo enim, instóque vehementer; si fidem requiris, quare non & charitatem? cùm dictum sit, *sine charitate nihil sum.*
1. Cor. c. 13. Quare non & pœnitentiam? cùm etiam dictum sit, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Quare non & opera
Luc. 13.
Math. 25. misericordiæ? cùm item habeas, *esuriui enim, & dedistis mihi.* Quare non & mandatorum obseruationem? quam & minimè necessariam, & quod multò deformius est, etiam impossibilem credis, cùm dictum sit, *si vis ad vitam ingredi, serua*
Math. 19. *mandata.* Quis te porrò constituit iudicem, vt quæ eâdem lege, eodémque testamento adsciscuntur, alia fraudulentus arbiter abijceres, alia præter morem consuetudinémque Censor importunus adscisceres, nouo monstro lex legis?

Reſponde igitur : vel aliquid præter meritum Chriſti requiri putas, vel nihil : ſi nihil, cur tu fidem ? Si aliquid, cur non opera ? Item interceſſione opus eſt vel vllâ, vel nullâ ? Si nullâ, cur interceſſionem admittis viuorum ? ſi vllâ, cur non & mortuorum ?

IV. Reſpondes inter viuos admitti charitatis alendæ gratiâ. Quid tum ? Tamen admittitur & ſine ſacrilegio, ſine blaſphemiâ, poſtremò ſine Mediatoris iniuriâ admittitur. Non enim cauſam quærimus, ſed rem; imò cauſam habes & rem vtrobique parem. Quid enim ? Apud Cœlites extincta dilectio eſt ? non ſunt illi eiuſdem corporis membra ? non fratres ? non parentes ? deſunt inter vtroſque reciprocæ commercia charitatis, vt & colantur à nobis & accipiamus ab illis ? En cauſa ; en charitas alenda. Nunc rem attende. Quæritur, an inuocationi ſit locus ? Negas. Quid ita ? Quia *vnus eſt*, inquis, *Mediator Chriſtus*. Iniuria eſt, cùm hic abundet, alium quærere. Bene habet. Sed tu qui ſic arguis, quamobrem ad alterius opem implorandam obteſtandámque inuolas ? Nec tu modò, ſed etiam Paulus, qui ſe ſuáque

fratribus in Christo commendat, mediósque sibi apud Deum contendit? Quorsum hoc, si intercessio nihil ad salutem confert? Ais fieri charitatis alendæ gratiâ? Quid? alitúrne charitas mendacio? Vel etiam iniuriâ Mediatoris? Ecce Danielis cap. 3. merita commemorantur hominum apud Deum gratiâ præpollentium dicitur enim: *Propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Noli, inquit, auferre misericordiam tuam à nobis. Quid ita? quâ causâ? quâ ratione certas? quid opponis iræ Dei? Tres summos viros: Abraham, quòd amicus sit Dei, Isaac, quòd eius seruus; Iacob, quòd sit sanctus. Vides hîc non pactum, vt frustra cum Caluino somnias, neque charitatem colendam, sed merita pro intercessione commemorari.

Rom.c.3. Similiter Paulus; *Obsecro vos*, ait, *fratres per Dominum nostrum Iesum Christum & per charitatem Spiritûs Sancti, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum vt liberer ab infidelibus.* Ecce inuocat: quos? Fratres. Pro quo? Pro se. Vbi? Apud Deum. Ad quid? *Vt adiuuetis.* Quo præsidio? Vestris orationibus. Quo merito?

rito? Per charitatem Sancti Spiritus, quæ est in Domino nostro Iesu Christo. Quâ denique spe? Vt liberer ab infidelibus. Vides hîc rursus inuocari magno ambitu Fratres, & quæri per eorum merita subsidium apud Deum. Si iniuria est, cur id ambit Apostolus? Si rectè fit, cur id arguit hæreticus? Vociferamini crucem euacuari, Paulus contra adimpleri. Cui credimus? vobis an illi? Nam intercessio vel iusta est, vel iniusta: Si iusta, cur prohibetur à vobis? si iniusta, cur exemplo docetur tali ac tanto? Alterum è duobus: Aut fit vtraque sine dispendio Mediatoris, aut altera non exhibetur sine scandalo Doctoris. De exemplo præiudicium statuitur, de præiudicio fides. *Quid interest* (inquit Chrysostomus qui hoc ipsum probat) *inter viuos & mortuos?* Et Ambrosius eodem spectans, *nec interest* (ait) *vtrum in cælis maneant an in terris, conuersatio enim connectit quos separat elementum.* Imò, vt ex Augustino paulò ante referebam; multò potentiores sunt post triumphum, quàm ante martyrium. *Si enim* (inquit) *tunc supplicantibus proderat aura corporis* (loquitur de vmbra S. Petri) *quantò magis gratia nunc permanentis?*

Orat. 41. in Acta.

Serm. 87.

Serm. 29. de Sanctis.

Concluditur argumentum. IV. Sentis itaque te qui oppugnabas, vndique expugnari, qui turbabas, vndique deturbari. Habemus amicos apud Deum, qui nos recipiant in æterna tabernacula, eósque non iam de mammonâ iniquitatis, sed de mammâ misericordiæ Dei quæ Christus est. *Prudentes sunt, potentes sunt, fideles sunt,* sed in Christo, per quem omnia obtinent nobis. Hæ sunt phialæ, quas Ioannes vidit, *odoramentorum plenæ, quæ sunt,* inquit, *orationes Sanctorum*; hæ cytharæ Christi: hęc denique gratia, à quâ excidistis. Et vos quidem terrenis inhiantes, aulicos gratiosósque Regum longo multóque ambitu circumitis, neglecto Dei famulatu. Nemo porrò in vtraque Cęsar aula, nec à delicijs ad delicias itur. Altero carendum est, cęlo vel terra. Tuum est optare: sed cęlum si optas, & viam cęli quęrere te oportet, & non solùm viam, sed etiam viam vię, gratiámque gratię introductricem, vt si per teipsum non possis, per Ioannem roges pectori incumbentem, imò per ipsum Christi pectus, dico Matrē Dei, dico viscera misericordię Dei nostri in quibus *nos visitauit oriens ex alto.* Non enim fas est, vt aut optimus Filius fa-

Bern. in Ps. *Qui habitat.*

Apoc. 5.

Luc. 1.

ciem auertat à Matre, aut optimus Pater auertatur à Filio per Matrem postulante. Nam si Moyses pro populo est exauditus, si Iob pro amicis; etiam exaudietur Mater à Filio pro filijs, & Filius à Patre pro fratribus. Hęc in Christo fiducia mea. Per hanc ad illum feror. Itur enim per sancta pérque Sanctos ad Sanctum Sanctorum, id est, ad Christum, cuius honor hac quasi cortinâ prętexitur: neque pertimescenda est inde ruina, vnde stat basis.

CAPVT OCTAVVM.

Refellitur tertia Caluini calumnia de perenni in omnibus hymnis obliuione Christi.

I. VEnio ad illud infandum horribiléque flagitium, quod obiicitur à Caluino nobis: nullam in omnibus hymnis litaniísue fieri Christi mentionem. Enimuerò calumnia est hominis tantâ confidentiâ mentientis, vt, quemadmodum notat Bellarminus, *Periculum sit ne præ illo diabolus nomen mendacis amittat.* Cæterùm eâdem facilitate refellitur, quâ effutitur. Nego dictum. Nego dicti causam; & antecedentia, & conse-

L. 1. de b at. Sanct. c. 16.

quentia, & omnes omnino partes. Mentitur vbique Caluinus & ex integro. Cui contradictoriè ſic in directum oppono, nullum hymnum, nullam orationem, nullas apud nos exiſtere litanias, quæ Chriſti nomine velut aureo quodam ſigillo non muniantur, initio & fine. Aio claudi vniuerſas hoc ſolemni perpetuóque ritu; *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*: aut iſto: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*: aut etiam iſto; *Ieſu tibi ſit gloria.* Aio inſuper eiuſdem inuocatione aperiri, longáque myſteriorum ſerie pertexi. Quæ omnia patent ad librum.

Ex quo prudentiæ tuæ eſt hinc coniicere, quæ ſit in dubiis homini fides habenda, cùm in tam manifeſtis hoc tale ſit eius œcumenicum ac vniuerſale mendacium, quo ſolo Catholicus eſt.

Comparatio vtriuſque Eccleſiæ.

II. Sed vt manifeſtum omnibus fiat, quanta ſit apud vtroſque vel memoria, vel obliuio Chriſti, comparemus ambas Eccleſias, ſi veſtra tamen Eccleſia dici poteſt, quæ ne curia quidem eſt. A forenſibus ornamentis, externóque rerum ſplendore, paulatim ad ea quæ animum ſubeunt, oratione deſcendam.

Ergo veſtra primùm cum noſtris templa compono. Hîc apud nos vbique præfixæ ſplendent inter ſacra trophæa cruces, *triumphaliáque*, vt Ambroſius appellat, *patibula*; coruſcant auro rutilantia latè ſigna redemptionis noſtræ. Ibi ſpelæo naſcitur infans Ieſus Bethlemico, cantantibus Angelis, paſtoribúſque ſacro ſtupore circumfuſis. Ibi trium adoratio Regum ſydere præuio, & tota cum Herode mirante Hieroſolymâ. Ibi fugiens, hîc redux puer. Ibi ſuſpendens admiratione doctores; hîc ſuſpenſus geminos inter latrones. Denique nihil vacat à Chriſto, aut enim *eius miracula*, *aut myſteria*, *aut poſtremò martyria* pro eius fide tolerata referuntur, & ſcis ingens eſſe animi cum corpore commercium; momentóque ſpeciem à ſenſibus ad intima reginæ mentis adyta transfundi. Videamus nunc apud vos an huiuſmodi ſit, an ſaltem vlla, quóue habitu memoria Chriſti? Cruces quidem inuenio planè nullas, aut ſi quæ ſunt, non expoſitas aris, ſed impoſitas arcis, argenteas duntaxat atque nummatas. Hæc ſcilicet vnica vobis ſigna crucifixi. De cetero ſqualent omnia; vt forum, ita tem- August.

plum eſt, Eccleſia ſeu Synagoga, ſine Sacerdotio, ſine lege, & ſi quâ licuiſſet, olim ſine Rege. Quicunque enim legem odit, odit & Regem, ſiquidem diſplicet ex æquo dominantis authoritas, ſeu legis, ſeu Regis, imò multò magis Regis. *Non enim ſine causâ gladium portat; Dei enim miniſter eſt vindex in iram.* Vnde *dominationem ſpernunt, maieſtatem blaſphemant, libertatem promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis.* Ita Iudas & Petrus.

III. Veniò à templis ad perſonas operáq; vtrorumque. Ecce in nobis immenſum Chriſtianæ pietatis aperitur ſtadium, in quo nunquam ceſſatur à laude Chriſti dies noctéſque, preces ſingulis quibuſque horis, publicè ac priuatim à ſacerdotibus virginibúſque recitatę, cantu perpetuo; & vt Deo ſint *in odorem ſuauitatis*, ſtata quotannis, æmulatione Chriſti quadrageſimalia ieiunia; quatuor item, quæ vocant anniuerſaria tempora; præterea Sabbato, ſextáque feria (quæ vobis dies veneris eſt, nobis crucis) hebdomadaria in memoriam paſſionis Chriſti carnis-priuia. Sunt & quibus vnum ſit, perpetuúmque ieiunii corpus tota vita, eadémque perpetuum &

silentium & cilicium, castigantibus cum Apostolo corpus suum, à quo etiam vacatio est castitate perenni. Quid memorem totum in Christum quodammodo recurrere annum, ac reuolui semper, solennitatum perpetuo, vt ita dicam, gyro? Nunc moritur, nunc resurgit, nunc ascendit nobis, sempérque triumphat in nobis. Porrò ad memoriam eius, etiam exercitio sensuum excitandam magis ac magis, modò canticis, modò campanis, aut organis, modò ceremoniarum antiquo grauíque ritu sacris operatus Antistes, populo præit *orbem terrarum in podere portans*, certè memoriam crucis vbique & omni tempore. Contrà vobis altum anno toto silentium, interdicta sacra, aræque solo deiectæ, & cum aris omnis etiam æternæ vitæ posthabita cura. Ieiunia nulla vobis, nisi quæ fortè semel aut bis in anno, aut ne mentiar, in æuo nostri odium imperauit. Conuentûs rari, & ad pompam magis quàm ad pietatem; scis quia neque hîc mentior: concio porrò qualis ab æmulis expectari potest, tota rixarum atque contumeliæ nostræ plena. Neque enim *ædificationi studetur, sed ruinæ*. Postremò ne quid à me

Tertull. de hæreticis.

putes exaggerari dicendo, Caluini tui testimonium de vobis & verba cito. *Portenta sunt*, inquit, *quæ speciem duntaxat humanam præ se ferant.*

Serm. 10. in Epist. ad Ephes.

Conclusio secundæ partis.

IV. En quale discrimen in hoc rerum statu partis vtriusque. Iam compara, iam vtrosque iudica, sed æquâ lance. Vtri magis memores sæculi; vtri Christi minùs? O dilectissime, tu quidem in hoc præsenti foro iudicium feres qualecunque adlibuerit. Nemo te prohibet. Nemo reluctatur. Sed qualecunque feras, est in cælo, est præterea qui iudicet: nam etsi nunc signa crucifixi non videas, videbis illic, & tunc damno tuo scies, vtra sit vita potior acquiescentis Christi consiliis, an adhærentis vsque Caluini conuitiis. Hoc vnum in hac secundâ parte concludo: nihil ex veritate, nihil ex æquitate contra nos intortum.

Probaui intercessionem Sanctorum Mediationi Christi non officere, sed prodesse. Probaui non sufficientiam modò meritorum eius, sed etiam redundantiam credi à nobis. Probaui denique nullo non loco, nullo non tempore memoriam tanti Redemptoris inter

nos haberi ſanctiſſimam.

Ex quibus vides, quantum & quale ſit mendacium illius qui hæc obiecit, & quę demùm hominis fides, & quæ tua in illum, vel ab illo. Certè ſi Chriſtus veritas eſt, à Chriſto non eſt.

PARS TERTIA.

De calumniâ nimiæ Religionis.

CAPVT NONVM.

Quòd à Beatis exaudiri poßint è cælo preces.

I. ACcuſas vltimo loco vitioſæ Religionis. Negas enim exaudiri poſſe nos à Sanctis alio poſitis in orbe, & vt facetus es, cum Caluino nouos hîc *Ononychitas* refers. *Riſimus nomen & formam nos quoque.* Addis deinde ne in cælo quidem adhuc beatos eſſe; denique ad authoritatem Patrum ac Scripturæ, velut ad ſacram anchoram, antiquo tuo more recurris. De quibus, cùm egero quàm breuiſſimè, hanc diſputationem ſuo fine concludam. Tertul.

Ergo non audiri nos ab illis, vnde pro-

bas? Absunt loco, mundo, toto si vis & cęlo: nunquid absunt Deo, in quo vident omnia? Quid? Abrahamus audit epulonem in meditullio inferorum; illic habet sinum, oculos, aures; in cęlo non habet? Parabola est (inquis) non historia. Vnde illud tibi? deinde si parabola est, veritatem repręsentat; si historia, etiam facit. Sed ne cui sit tibi subterfugio locus, ego parabolam historiámque facio tibi teipsum. Attende quid dicam. Legit te amicus, audit absentem: speculum illi manus tua, epistola tua, quæ & muta loquitur, & dissita repræsentat, & abiuncta coniungit. Denique agit in distans victrix spatiorum, animíque fidelis exploratrix, ac interpres. Hęc ars, hęc hominum industria est.

Atqui liber est in cælo, qui omnia docet, VERBVM. *Quid enim non vident* (inquit Gregorius) *qui vident videntē omnia?* Finge tibi speculum quoddā immensum, sic in cælo paratum & dispositum, vt ab hoc orbe ad eius oppositam ex aduerso chrystallū affluant vndique imagines; ibi designari quo quisque loco sit, quo habitu, quo situ, quid denique cogitet, quídve moliatur; huic porrò circumfusas es-

ſe Beatorum mentes, ibíque noſtra vno quaſi ſimul intuitu, protinus vniuerſa deprehendi. En ars Dei, en ratio videndi. VERBVM, hoc illis ſpeculum eſt, in quo diuinæ mentis arcana, rerúmque omnium naturæ atque origines, cauſæque, effectúſque facillimâ cognitione deteguntur.

II. Sic Moyſes apud Deum in monte vidit, quicquid apud homines in radice gerebatur, *Arabat in vitulâ Dei,* & ibi vitulum aureum abſens licèt intuebatur, altero in orbe iam tum Iudex. Sic etiam Eliſæus auaritiam antiqui ſui Iudæ vel ex æde diſpunxit. Sic & Elias è paradiſo (ſi tamen è paradiſo) certè poſt raptum ad Regem ipſe reſcribens, ea quæ tum gerebantur, ipſe cognouit. Sic & Samuël poſt mortem, excitatus ab inferis, etiam ea quæ nondum erant, infœliciſſimo Saüli prædixit, Onias quoque atque Ieremias aureum in manu gladium vibrans, item poſt mortem, ſi poſt mortem tamen, quæ nulla eſt apud Deum: *quia non eſt Deus mortuorum.*

Exempla Scripturæ. Exod. 32. 4. Reg. c. 5. 2. Paralip. c. 21. 1. Reg. 28. 2. Mach. c. 15. Math. 22

Vim ergo quanta ſit argumenti, cognoſce. Sic enim arguo. Si diſſitis longè rebus & loco, & tempore, multò anteiit

Argumentatio.

animus oculúſque vatum; erítne nunc demùm apud Deum tenebris ac caligine obſitus tantâ, vt ne præſentia quidem attingat? Cęlum è terra vident: terram è cęlo non vident paribus vtrinque interuallis? Quid? Iter eſt longius Athenis Thebas, an Thebis Athenas? aut ſi par eſt iter, vnde potentia diſpar, & in quo? in Deóne, an in illis? Fortaſſe non idem hoc tempore poteſt Deus, abbreuiatâ manu eius? aut ſi poteſt, fortaſſe non vult exequi quod promiſit, & eſt infidelis? aut denique in illis peior eſt rerum ſtatus, quamquam & merito & conditione beatis? *Cùm venerit* (inquit) *quod perfectum eſt, nec iam corpus aggrauabit animam. Ex parte enim cognoſcimus, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* 1. Cor. c. 13.

Vrgentur. III. Quęro igitur ac ſcire cupio vehementer, vnde & quâ ratione fiat, vt hîc Argi ſint atque Lyncei, illic cęci talpę? nimirum indigetis, vt ex veſtrâ doctrinâ licet augurari, damno fuit acceſſiſſe propiùs ad Deum. O nouum beatitudinis genus! Hęrent anxii, hiant pauidi, impingunt cęci, rerum omnium hoſpites ſunt & ignari. Quę (malùm) iſta peruerſitas! Valent, an negligunt? Si negligentia eſt,

vbi amor? Si impotentia, vbi fœlicitas? Interrogo rursus, curántne quę nesciunt, an quę sciunt, non curant? Vtrum? Certè Iudices sunt pridem à Deo designati. *Iudicabunt* (inquit) *nationes, & regnabunt cum illo per mille annos*, hoc est decursu temporis huius, vt explicant Patres. *In Scripturâ* (cito Gregorium) *millenarius numerus pro vniuersitate solet intelligi: hinc & per Ioannem dicitur: & regnabunt cum eo mille annis: quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ vniuersitatis perfectione solidatur.* Iudicabunt ergo nationes, quamdiu stabit mundus. Iam si Iudices, non sine scientia; si Reges, non sine potentia; si patroni, non sine beneuolentia. Vbique veritas regnat, vbique triumphat pręterquam apud vos, vbi captiua, miserandum in modum *corruit in plateis, facta in obliuionem, & vidit Dominus quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat.* Eheu cęcitas!

Aopc. 14.

l. 9. Moral. c. 2.

Isa. 59.

CAPVT DECIMVM.

Quòd ideo possint exaudiri, quia Sancti sint iam cælo recepti, ac verè beati.

I. Sed intelligo: Negas eos ad hunc vsque diem esse cælo receptos.

c.15. § 18. Quin etiam Caluinus asserit *stultum esse ac temerarium inquirere quo loco sint animæ Iustorum, & an gloriâ fruantur necne?* quęstionésque eâ de re *temulenta cerebri nostri somnia* vocat. Et tamen ipse postmodùm sententiâ quasi canonicâ decernit eas in quodam aulæ cælestis atrio consìdere. In quo quidem videre licet impotentiam hominis planè intolerabilem; nam si stultum est etiã de hoc inquirere, quamobrem ipse non inquirit tantùm, sed vltro contra Patrum omnium scita decernit? Rursus, si audet ille, quare stultum ac temerarium est inquirere? Verùm hominem sinamus in suam rem abire. Te peto, te sequor, te Apostolicâ cingo fugacem indagine, venator animæ tuæ. Dic mihi, cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso?* Nonne latroni cum Christo in Cruce pendenti? Si hodie, si cum Christo, si in paradiso; ergo iam beatum esse necesse est; nisi fortè Christum ipsum cælo receptum, & ad dexteram Patris regnare non credas. Vide igitur, quo Christum statuas loco. Nam eodem & latronem constitui oportet. *Mecum* (inquit) *eris*. Hoc est in eâdem sorte. Quando? Hodie. Vbi? In paradiso. (Locus,

Probatur de latrone.
Luc. 23.

tempus, vitæque ſocietas par vtrique. Neque dicas eodem die minimè eſſe receptum paradiſo; nam etſi niſi poſt quadraginta dies aſcendens cum Chriſto non eſt cælum ingreſſus; fuit tamen eodem die in paradiſo, hoc eſt beatus.

II. Iam ſi de latrone concedis, diſputabíſne de Apoſtolis, quibus dictum eſt pariter; *Vado vobis parare locum?* An de Stephano, qui cælos apertos & ipſe vidit, Ieſúmque ſtantem cum coronâ? an de iis quos Paulus aſſerit repromiſſiones accepiſſe? & quos Ioannes vidit in cælo cum palmâ & coronis illic regnantes per mille annos? Enimuerò quinam illi tandem extitere? Audiamus Auguſtinum. *Cum Chriſto vtique regnauerunt, & regnant donec finiantur mille anni; vt poſtea receptis corporibus iam immortalibus regnent.* Audiamus Cyprianum. *Tam feliciter migrandi quanta felicitas! Clauduntur oculi, ſed patet cælum.* Audiamus Chryſoſtomum. *Ibi cum Rege ſunt, non quodam interiecto veſtibulo,* (animaduerte) *non quodam* (inquit) *interiecto veſtibulo, neque per fidem, ſed facie ad faciem.*

Probatur de cæteris.

Ioan. 14.

L. 20. de Ciuit. c. 13. in exhort. ad Martyres.

Cuius rei manifeſta ratio eſt, quia ſecundùm legem, operarii merces differri

Auguſt. non debet. *Feci* (diceret Sanctus) *quod iuſsiſti, redde quod promiſiſti.*

Abſit, abſit, vt hæc in Deo noſtro ſit ad remunerandos ſuos ingenita tarditas. Nam ſi qui pœnis æternis obnoxii, migrant è corpore, ſtatim intermiſsâ nullâ morâ, ſepeliuntur in inferno (vt Euangelium docet) quid? ſerior erit ad coronam quàm ad ſupplicium? Non ſic, non ſic; ego Deum ad iram præcipitem, ad miſericordiam plumbeum non noui: ſi eſt ille tuus, non eſt meus; nam meus de noſtro iuſtus eſt, de ſuo optimus, cui pedes cùm punit, æreì ſunt; manûs, cùm coronat, alatæ. Accedit, quòd ex D. Thomâ, ſicuti corpora grauitate & leuitate tum deprimuntur, tum attolluntur; ſic animæ, vitio atque virtute. Plumbeum illis talentum eſt iniquitas, penna virtus. Vnde orabat Propheta: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Euolant ergo illæ ſtatim à morte, & ad ſuum orbem redditæ libertati ſuæ, incredibili pernicitate feruntur.

Pſ. 53.

Probatur ex ſtatu. Greg. in cap. 16. Lucæ.

Iam verò ſi ſunt in cælo, ſi beatæ; & eas eſſe quoque perſpicaces oportet; nam *animæ videnti creatorem, anguſta eſt omnis*

omnis creatura non contractione rerum, sed sui dilatatione. Tu (vt exprobrat Vigilantio Hieronymus) *Deo leges ponis, tu Apostolis vincula iniicis, de quibus scriptum est, Et sequuntur Agnum, quocunque ierit. Si Agnus vbique, ergo & hi qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt,* quia, vt eum explicat Beda, qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creaturâ agitur quod videre non possint. Quid plura? Theologi quatuor assignant modos, explicántque, quibus hæc ad eos notitia peruadat; nempe reuelatione, relatione Angelorum, tum inspectione rerum in Verbo tanquam in speculo, qualiter iam dixi; tum denique cognitione rerum in semetipsis. Non enim, vt Caluinus ineptissimè putat, auribus id fit proceris, quas non habent illi, sed ille qui sic errat: non auribus (inquam) sed oculis, oculísque mentis. *Cognitione* (inquit Durandus) *reuelatoriâ, quæ pertinet ad gloriam accidentalem, &* (vt Mediauilla) *ad reuerentiam earum.* Nec affici inde, frangíue aduersitate suorum existimes: *Ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis* (recito verba Thomæ) *quòd dolor in eis locum non inueniat.*

C. 2.

L. 4. Sent. dist. 45.

3. Part. de part. pœnit. q. 2. a. 1.

Liquet igitur & nos ab illis audiri, & illos à Deo: quod erat è tribus extremum.

CAPVT VNDECIMVM.

Difficultas de Scripturâ.

I. HIc ego reuocaui in mentem quid ad hæc omnia positus in extremo responderis. Professus es enim Christianum esse te, non Philosophum, neque ratiocinari sed credere; denique ad Scripturam appellasti tanquam ad vnicam fidei tuæ regulam. *Prima responsio.* Quasi quæ dixerim hactenus, non ex illo fonte sint petita. Sed esto; quando ita iubes, enitar vt hac etiam parte faciam tibi satis. Ac primum, si quoniam summo iure mecum ipse contendis, de scripturâ disputem, eámque tibi negem vllam esse, quî probabis? Nam authoritate Ecclesiæ, quæ verbi custos est, per vos euersâ, & sensus iacet, & litera: hic obscurus, hæc incerta; in summâ, quia de neutro conuenimus inter nos, ab vnâ controuersiâ transis ad aliam longè maiorem. Deinde si de Traditione, quã huiusce Fidei prima-

riam ac præcipuam auctricem prætendimus, disputare placuerit, vnde ad literam prouocabis? est enim hoc etiam inter nos, vt nosti, maximè controuersum. Præterea, si rogem vbi tibi sit in Scripturâ processio Spiritus Sancti, quam aduersùs Græcos à Patre per Filium origine vtrique communi credis? vbi Dominicæ diei cultus, quem obseruas, posthabitâ quam habes in Scriptura, sanctificatione Sabbati? Vnde etiam & cuius authoritate mutata tibi sit cæna Domini in ientaculum tuum? Item vnde trina totius corporis immersio tota reciderit in leuiusculam aspersionem vnius guttulæ super infantis caput? cùm in Scripturâ non sit aliud quàm baptismus, hoc est intinctio seu immersio? Quid ad hæc omnia dices? Quid si commemorem fuisse in instrumento tum vetere, tum nouo dissimulandæ initio veritatis æquissimam causam? in vetere quidem, quòd nondum beati Patres, nondum in cælo: in nouo autẽ, quòd summo Mediatori præstruenda primùm fides. Denique, vt alia taceam, si te, quoniam ipse aggrederis, accusas, reprehendis, reformas, atque inuocationem vt sacrilegam, ac

planè diabolicam reformidas: ſi te, inquam, quoniam actor es, ego defenſor, ad Scripturæ teſtimonia contra me citanda retorqueam, enimuerò vbi mihi prohibitam, vbi proſcriptam, aut anathemate perculſam exhibebis? quo edicto? quo textu? cita legem, effer, ediſſere. Dicéſne id mihi qui affirmem, incumbere probandum, non tibi qui neges? At non negas modò, ſed refellis, ſed ab vnitate deſciſcis, ſed in Eccleſiâ & ab Eccleſiâ diuortium facis. Libellus eſt repudii hæreſis tua; adulterii vocas in crimen; euincendum id tibi eſt. Nam de cætero in meo ſum: ego poſſideo prior. Deturbandus ſum lege, interdicto, totis denique inſtrumentis. Amicos Dei tanquam ciuitates refugii mihi conceſſas accipio, aut tanquam interiectos iræ Dei muros. Hoc in Scripturis exhibentur ſchemate. Tu contra tantum ac tale perfugii genus, deſertionem, idololatriam, perditiſſimi luxûs exemplaria, poſtremò infandiſſima quæque criminaris; vnde? quo ex loco? quo teſtimonio? quo teſte? quo textu?

Inſtantia.

Sentíſne quanta tibi vel confutanda ſi vrgeas; vel confitenda ſi vrgeam?

II. Liberaliùs agam tamen. Ad Scripturam appellaſti, ad Scripturam ibis. Illo tu tribunali ſtabis, imò cades. Ac primùm habes in Geneſi interceſſionem ſanctiſſimi viri pro Sodomitis, habes eandem in Exodo pro Iſraëlitis ſæpe repetitam, & non ab vno; habes in libris Regum Samuëlem & inuocantem & inuocatum à populo: *Ne ceſſes* (inquiunt) *orare pro nobis Deum noſtrum.* Et in Euangelio Chananæam Apoſtolis ſupplicantem pro filiâ, & Apoſtolos pro illâ. *Dimitte illam quia clamat poſt nos.* Neque dicas hanc inuocationem eſſe viuorum, non mortuorum: nam oſtendi tibi parem eſſe rationem vtriuſque; quod etiam nunc multò magis patet abſolutione difficultatum. Deinde quantumuis hæc abeſſet circunſtantia, quæ nullius eſt momenti, res tamen habetur in Scripturâ, exemplóque paſſim ac multis in locis Eccleſiæ proponitur. Quin & à ſanctis Patribus, vt audiſti, nullo diſcrimine vtraque, & multò magis hæc quàm illa commendatur. Poſtremò quid dices, ſi hæc quoque mortuorum inuocatio non deſit? Certè Petrus Apoſtolus & memorem vult eſſe ſui in precibus plebem,

Secunda reſponſio.

1. Reg. 7.

Matth. 5.

& se post obitum memorem eorum vicissim fore pollicetur. *Post obitum*, inquit. Ergo fidem vt exoluat, sollicitare possum, & cum Sancto Chrysostomo clamare confidenter; *Implete promissa vestra.* Itaque Apostolus, vt vides, à sanctissimo doctissimóq; viro ex ipsis etiam Scripturæ verbis inuocatur. Sed ne qui tibi scrupulus hæreat hâc in parte, do tibi qualem animo quantámque concipis. Nam Iob & iubetur adiri vt sanctus, & adire Cælites, vt sanctos; *Voca siquis est qui tibi respondeat, & conuertere ad aliquem Sanctorum*, quem locum Augustinus intelligit de inuocatione Angelorum. Quæstionibus in Exodum sic ait. *Admonemur cùm nos grauant peccata ne diligamur à Deo, posse nos releuari apud Deum meritis illorum quos Deus diligit.* En textum à Scripturâ, quæ regula tua est, en commentarium ab ingenio omnium qui extiterint vnquam, acerrimo. Quòd si dixeris hæc aliter explicari posse; tunc à Scripturâ resilis ad ius eius explicandæ. Quâ ratione nullus est controuertendi finis, quicquid enim afferatur, dici potest alium ei subesse sensum.

Homil. 66. ad popul. circa finem.

Iob. 5.

Quæst. in Exod. 149.

III. Atque vt intelligas magis ac magis iniuſtitiam reſponſi tui; ſtatuo rem ac exemplum in hęreſi tuâ. Fac omnes, quotquot apud vos aliquo numero fuere doctores, in vnum locum confluxiſſe, ibi diſputare, atque in eandem vniuerſos conuenire ſententiam pręter vnicum, eúmque non optimum, qui ſe alia ſentire dicat. In hoc caſu conſulo prudentiam tuam, ac peto, vtri parti putes adhęrendum? omniúmne an huius vnius? Huius vnius (inquis) ſi Scripturam habeat pro ſe. Sed hoc ipſum ſi diſputaretur, eſſétque omnium ſententia pręterquam huius vnius, ab eâ parte ſtare Scripturam; hoc, oro, loco quid tu faceres, aut facere deberes? Prudentia, conſcientia, quid dictat tibi? *Vrgentur exemplo.*

Rem opinor aſſequeris. Accuſaſti nos idololatriæ primùm, tum iniuriæ Mediatoris, tum ſuperſtitionis. Purgaui calumniam. Dediſti manus. Peroratum eſt. Exinde petijſti textum Scripturæ; dedi. Probaui nihil in eâ crebrius interceſſione, cúmque de mortuis inſtares, ex Patribus oſtendi mortuos inter & viuos nullum eſſe diſcrimen; poſtremo loco textum etiam protuli qualem optabas, ad-

ieci Patrum interpretationem. Ad hæc respondes. Non est hic meus sensus. Sed insto; est Patrum, est Ecclesiæ, est totius retro antiquitatis. Quæro igitur vtrum videatur è prudentia tuum vnius nouissimi iudicium, aliorum omnibus anteferri? Quid dicis? Nónne *melius omnibus quàm singulis creditur? singuli enim decipi & decipere possunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Fortasse negas (vt nihil intactum relinquam) ab hac parte stetisse Patres? Hoc itaque restat vnum, quod si probauero, nónne confiteris hanc caussam omnibus esse numeris absolutam, ac vndique peroratam?

In paneg. Traia. Plinius.

CAPVT DVODECIMVM.

Authoritas Patrum.

I. AC quidem audisti iam nonnullos; plures etiam in manu tibi sunt apud Coccium, Bellarminum, Canisium cæteróq; qui hac de re scripsere; ego, ne vel multitudine testimoniorum obruerere, vel causæ præiudicaretur ex silentio, caui, vt ex infinitis pauca quædam ad calcem huius operis expendenda subjicerem. Ibi decreta sensúmque Conciliorũ,

quæ eſt totius Eccleſiæ vox. Ibi magnum habes Origenem, Scripturæ, ſi quis vnquam, peritiſſimum, antiquiſſimum illum, & à ſecundo ſtatim ſæculo exortum, inuocantem de genu & multo cum fletu *vt qui non audeat* (inquit) *adire Deum*. Ibi Gregorium Theologum, etiam infirmitatem carnis atque ludibria magno pudore Baſilio iam defuncto referentem, eíque pro ſuâ ſalute ſupplicantem. Ibi Chryſoſtomum & morem Imperatorum ad Baſilicas Apoſtolorum, & habitum ſupplicum, votáque animi demiſſione plena, ac demum Scripturam ad idipſum afferentem. Ibi Ambroſium, Cyrillum vtrumque, Gregorium etiam vtrumque Græcũ & Latinum. Ibi Auguſtinum qui omnium inſtar eſt; ibi denique Caluinum, vt illum inter filios Dei malum genium, tum de Patribus confitentem, tum aduersùs omnes ex æquo inſoleſcentem. *Fateor* (inquit) *omnes in errorem abrepti ſunt*. Ex quo concludo Patres, etiam ex veſtrâ confeſſione ſtare nobiſcum; quod vltimo loco ad huius integritatem cauſæ poſtulabas.

II. Ac eorum quidem authoritas, vt eo ſit apud te numero, quo debet eſſe, ſi- *Inconuenientia.*

múſque videas, quàm iniqua ſit agendi veſtra ratio; iungere te oportet hæc duo; ex vnâ parte præclariſſimam, quam de his Patribus habent omnes, opinionem; ex aliâ, veſtram illam de inuocatione, quam ipſi docent, horribiliſſimam actionem. Nam ſi vera ſunt quæ dicitis, ſi cultus, inquam, atque inuocatio Sanctorum perditiſſimi luxûs eſt, & totius obſcœnitatis exemplar, quis ille Nero, quis emiſſus ex Orco Diocletianus, in gregẽ Chriſti tanto furore bacchatus eſt vnquam, quanto illi? Enimuerò Tyranni corpora; hi, ſi ita eſt, animas perdidere. Accedit, quòd ipſi, vt ita dicã, αὐτόμαχοι ſunt, quia ſimul idololatriam òmnibus ingenij viribus profligauere, ſimul hâc doctrinâ propagauere. Itaque mihi videntur è cælo certatim omnes, & quaſi ex condicto tecum ita differere. „En noſtra vox inquient) quam non atramento „ſolùm, ſed etiam ſanguine teſtati ſumus. „Si ſacrilega eſt, habes nos non Eccleſię „Patres, ſed parricidas. Quia pecori non „lac, ſed venenum à nobis ipſo in fonte „propinatum eſt. Interijt crimine noſtro. „Adulterium paſſa eſt lenocinantibus no„bis. Id autem, ne in animum inducas, ob-

,ſtat ſummorumhominum & antiquitas, , & multitudo, & conſentiens doctrinę , ſanctitas, & diſciplinę ratio, poſtremò , & vitę mortíſque pro Fide perpeſſio. Sic illi. Quę ſine dubio magni ponderis eſſe debent apud te.

III. Nam quod ais rationem nullam eſſe, vt cùm tibi ad Deum recto tramite pateat acceſſus, per ambages eas; minimè intelligis eſſe ſępè cauſas, cur id non expediat modò, ſed etiam ex beneplacito Dei requiratur. Impedit criminum onus properantes; grauat ſarcina peccatorum, incompoſitis moribus homo eſt, affatúque diuino prorſus indignus. Denique immerſus luto per ſe erigi nequit. *Incipiam*, inquit Origenes, *me genibus proſternere, & deprecari vniuerſos Sanctos, vt mihi non audenti Deum adire propter enormitatem peccati, ipſi ſuccurrant.* En inuocatio, en de genu; en & ratio; Quòd non audeat per ſe Deum adire. Quid quòd ad amicorum Dei cohoneſtandam amplificandámque dignitatem plurimùm valet? Id enim ei curę eſt. Vnius Moſis interuentu conficitur res. Vnius Iobi gratiâ litatur. Quid quòd etiam ad vtriuſque Eccleſię, militantis

Vltima difficultas.

In Orat. de lamétis.

inquam, & triumphantis vnienda membra mirum in modum iuuat? Sunt enim ambę forores.

Accedit hunc esse naturę ordinē, vt ad summa, nonnisi per media veniatur. Hic rerum cursus in cęlo, hęc series viget. Ab Angelis itur ad Archangelos, ab his ad Virtutes, & ita deinceps. Exemplar illud est in monte monstratum, & sequimur. Quid plura? Vt auito mors inualuit opprobrio (*omnes enim in Adam peccauerunt*) sic alieno vitam quoque subsidio credimus esse fulciendam. Reciprocantur ista, mors & vita, gratia & natura.

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio totius Disputationis.

Anace-phalæosis.

I. VT igitur recolligam me, téque, sed te potiùs, habes inuocationem Sanctorum, authoritate & ratione vndique constabilitam; authoritate Patrum & Scripturę, ratione sacrâ & ciuili; nam & in aulis Regum, par exemplum est intercessionis per filium ad patrem, per gratiosos ad vtrumque. Debellatum est aue fœlici, victoriáque planè Christianâ, hoc est *fœnore* (vt Tertullianus

habet) *interitu, lucro damno.* Nam & tu si vinceris, vincis; & nos, vbi cadere credebas, aucti gloriâ resurgimus. Nō enim vacat ab omni crimine tantùm hęc Fides, sed insuper tantę est honestatis, vt maximum ad gloriam Dei Christíque sit, efficacissimúmque compendium. Vidisti pietatem in hac re nostram, simúlque vestram incuriam, ne dicam impietatem; vtrorumque disparem agendi in Christi recordatione rationem. Audiuisti mendacia Caluini quamplurima, quę probaui tibi, totámque hominis grandiloquentiam ex calumnijs esse conflatam. Denique absoluimur vterque, tu à crimine, ego à criminatione tuâ; omnium suffragio, quod non est nouum, sed quod est miraculo proximum, etiam vestro.

II. Reliquum vnum est, vt te ad hanc veritatem amplectendam totâ contentione cohorter. Quid enim periculosius esse potest, quàm in hæresi iam exploratâ, iámque deploratâ velle viuere & mori, sine fide, sine spe, & quæ fuit origo mali, sine charitate? *Quam si haberetis,* (vtor Augustini verbis) *non dilaniaretis corpus Christi quod est Ecclesia.* Nam cùm *Peroratio.*

deserendæ abrumpendæque ab hoc corpore Christi (quod summum crimen est) vnitatis, nulla possit esse iusta causa, tum iniquissima, vt ostendi, fuit ista.

Neque verò abalienas te tantùm à nobis, qui fratres sumus, sed etiam à Superis, qui Patres tibi sunt, & vt probatum est, in causâ salutis tuæ Patroni.

Greg. Turon. l. 2. hist. Franc.

Et quæ spes victoriæ potest esse (aiebat olim Clodouæus) *si Martinus offenditur?* & quæ tibi fiducia sperandæ salutis (aio ego) si quicquid est bonorum in terris & in cælo, infestum sit tibi? quid? passurum eos inultos Deum putas, quorum iniurias etiam leuissimas acerrimè nullo non tempore vindicauit? Recordare canes Eliæ in Iezabelem, vrsos Elisæi in pueros clamantes (*ascende Calue*) leones Danielis, vltricésque flammas Babylonicæ fornacis. Et quid dico canes aut vrsos? *Pugnabit totus orbis terrarum aduersùs insensatos.* (Sap. 5.)

III. Quare rogo te vehementer, obtestórque per salutem tuam, vt amicos Dei procures amicos tibi, quando & eos Christi charitas medios ad vitam, & media prouidit ad finem. Matrem Dei noli despicere, quæ tibi semper & vbique ne-

ceſſaria eſt, ſed præcipuè in horâ mortis, & in die malo. Eſto de numero eorum qui exclamant : *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Apoſtolos ſine ſummâ mentis ingratæ labe non potes præterire. Nam ſi memoriam Heroum colis ac parentum: quanto magis eorum qui te Chriſto tantâ cum laude genuere? Certè ſi errandum eſt (cum Eccleſiâ errari non poteſt, etiam teſte Caluino) ſed ſi tamen errandum eſt, nonne malles cum illâ, quàm cum illo? Ecce ſecuritas tibi tota eſt, & à me & à te; à te qui licitas fateris ante imagines eſſe preces; à me, qui contendo ex Eccleſiæ præcepto, & nonnunquam ex decreto Dei neceſſarias. In morte quid factum velles? quid infectum? Luc. 11.

IV. Scio quid objicias mihi, tuos, & tua: ſed audi Chriſtum dicentem, *Qui amat Patrem & Matrem, & Fratres, & Sorores, inſuper & animam ſuam pluſquam me, non eſt me dignus.* Item, *qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo.* Non ſit, ô dilecte, non ſit tibi potior hæc vita, quæ momento labitur, quàm altera, quæ ſempiternæ gloriæ nunquam interiturâ luce coruſcat. Luc. 10. Luc. 9.

Recordare hominem nihil auferre se-cum præter opera bona. *Opera enim eo-*
Math. 16. *rum sequuntur illos.* Et *quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Non audis mi-
Sap. 5. seros in inferno clamātes, *Quid nobis profuit superbia, aut opum iactantia quid contulit nobis?* Eheu quàm vera, sed quàm
Aug. sera pœnitudo! *Temporalia perdere timuerunt, vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrunque amiserunt.*

Ergo ab errore ad viam redi, à schismate ad concordiam, à morte ad gratiam, à studio nouitatis ad antiquum morem; vno verbo, à teipso ad Deum. Hoc mihi votum est; hæc tibi, si quid sapis, etiam vita.

APPENDIX.

Testimonia Patrum.

Actione secundâ Concilij Chalcedonensis hæc vox omnium Patrum.

F*Lauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis orat.*

In sextâ Synodo Generali. cap. 7.

Solo Deo Creatore adorato, inuocet Christianus Sanctos, vt pro se intercedere apud Maie-

Maiestatem diuinam dignentur. Nota: Solo Deo Creatore adorato. Item septima Synodus Generalis.

Actione sextâ in fine sic habet.

Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, omniúmque Sanctorum. Citantur alia Concilia à Bellarmino fusè.

Origenes in Orat. de Lamentis.

Incipiam me genibus prosternere, & deprecari vniuersos Sanctos vt mihi non audenti petere Deum propter enormitatem peccati, ipsi succurrant. O Sancti Dei vos lachrymis & fletu pleno dolore obtestor, vt pro me misericordias exoretis.

En inuocatio, en de genu. En eius & ratio, quòd per se non audeat adire. Ita magnus ille Origenes Scripturæ peritissimus in primis & hic initio tertii sæculi.

Gregor. Nazia. Orat. 20. in laudem Basilij defuncti.

Tu verò sacrum atque diuinum caput, sic cælo nos aspice, carnísque stimulum à Deo nobis ad disciplinam inditum, aut precibus tuis siste, aut certè, vt cum animo perferamus, exorâ.

Multa alia habet eiusmodi, sicut &

Gregorius Nyſſenus, & Cyrillus vterque. ῥητορικῶς (inquiunt) at ſi ſacrilegum eſt, exemplo malo fit, peiore docetur; ſi pium eſt & licitum, cur rhetoricè & non etiam piè atque ex animo dicitur?

Chryſoſt. homil. 66. ad pop. circa finem.

Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat Sanctis ſupplicaturus, vt pro ſe ad Deum intercedant, & ſcenarum fabrum & piſcatorem vt protectores orat. Et Homil. de Natiuit. Apoſtol. Petri & Pauli. *Saluete vos ſemper in Domino; ſine intermiſſione rogamus, promiſſa veſtra implete. Sunt enim hæc veſtra quondam eloquia; vnius quidem hoc; Venite, non deficiamus bonis, alterius verò illud. Studebo poſt meum obitum veſtri facere mentionem.*

Ita Chryſoſt. 4.° ſecul. vbi nota primò morem Imperatorum. 2. Supplicum habitum, & vota demiſſione animi plena. 3. Conditionem Sanctorum quos inuocant. 4. Textum Scripturæ ad id ab eo citatum.

Ambroſius l. de Viduis vltra medium.

Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, Martyres ob-

ſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiam ſi qua habuerunt peccata, lauerunt. Et paulo antè loquens de interceſſione Apoſtolorum pro ſocru Petri; *Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam poſſunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Videtis enim quòd magno peccato obnoxia, minùs idonea ſit quæ pro ſe precetur, certè quæ pro ſe impetret: adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim niſi ad eos aliorum precibus Medicus fuerit inuitatus, pro ſe rogare non poſſunt.*

Nota hoc loco, primò Angelos noſtræ curæ eſſe commiſſos. Secundo reliquias Martyrũ ab omni retro memoriâ cultas. Tertiò interceſſionem eorum ſanctitate ſuffultam, vt & Danielis tertiò dicitur: *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael Sanctum tuum.* Quartò id explicat egregiâ ſimilitudine Medici ad ægrotum aliorum precibus adducti. Quod etiam Euangelico Centurioni contigit, ad Ieſum perducto per ſuos, vt Auguſtinus vocat, *peruentores.*

Auguſtin. ſerm. 7. de verbis Apoſtoli.

Habet Ecclesiastica disciplina quòd fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitant ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Iniuria enim est pro Martyre orare, cuius nos debemus oratione commendari. Idem habet l. de curâ pro mortuis, c. 4. Idem tract. 84.in Ioan. & aliàs sæpe. Ipso etiam confitente Caluino, qui sicut cæteros Patres erroris, ita hunc sanctissimum virum fœmineæ superstitionis accusat.

Nihilominus nota primò, hanc inuocationem tribui ab Augustino Ecclesiasticæ disciplinæ. Secundò notam esse fidelibus. Tertiò fieri ad altare Dei. Quartò aliter commemorari Martyres, aliter cæteros defunctos.

Hæc vel certè nulla sufficient.

DISPVTATIO SECVNDA.

De purgatorio apud inferos igne.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum & distributio Disputationis.

I. POSTVLASTI deinde, vt de purgatorio, quem vocamus, igne disputaremus. Placuit argumentum, tametsi causa displicebat. Nam eò volebas agi de hoc potissimùm igne, quòd ipse sperares huiusmodi, vt aiebas, *exitiale Sathanæ commentum facilè posse conuelli, quod neque authoritate neque ratione niteretur.* Et addebas Gregorium septimum totius fabulæ primum extitisse artificem, ante cuius tempora inaudita res esset. Clamabas etiam cum Caluino *rem esse ex multis blasphemijs conflatam, & nouis quotidie au-* *Querela.* Caluinus l. 3. Inst. c. 5. §. 6

ctam, quæ Christi crucem euacuet, Fidem labefaciat, contumeliam misericordiæ Dei non ferendam irroget. Denique excogitatam esse non ad expurgandas animas, sed crumenas: quæri numum, non numen, lucrum non lucem. Vno verbo vendi Christum. Ita vos athleticè, vt semper.

Æquitas iudicii in omnibus causis afferenda.

II. Ego verò, quanquam animo gauderem offerri mihi erroris refutandi locum sanè luculentum; tamen ægrè ferebam non tam à te quæri veniam errati, quàm nouam facultatem errandi contra ius omne. Nam cùm duæ sint causæ quæ ad inuestigandi veri rationem animos impellant; altera charitatis amissæ patrocinium, altera studium potiundę veritatis; hîc à te ambas oppugnari videbam, primam tuæ falsitatis amore, secundam amoris tui falsitate.

Enimuerò esse oculum mentis vt oculum corporis, cui si color adsit interiùs, absit æqua de rebus iudicandi potestas, peruertente judicium affectu, affectúmque iudicio mutuâ contagione. Orabam igitur, vt te ad momẽtum licèt, ab vtriusque partis adhæsione tantisper abiungeres, animúmque ἀδιάφορον, hoc est in quodam, vt ita dicam, neutralitatis æqui-

librio ſuſpenſum immobilémque contineres.

III. Porrò duo tibi probanda conſtitui. Primum eſt hanc pro mortuis curam authoritate niti & ratione, eámque ab omni crimine procul abeſſe. Secundum eſt, eandem eſſe perutilem ac meriti plenam; id eſt te poſſe pro illis intercedere, te debere. Tantùm vide ne tibi Ambroſianum illud tribuatur *erubeſcenti teſtimonium erroris, qui non erubeſcis errorem, malo inuerecundóque pudore.* Nam cùm ex Platone *pudor ſit in turpibus, ſtudium in honeſtis*; inuerteretur hic ordo tibi, fierétque hæreſis tua *ſplendida cenſu criminis ſui,* pœnitentiâ *vtique malâ, quæ curat nequid boni præſtes.* De cætero ſi cauſę faues, foues téque méque; *quem enim delectat audire, alterum prouocat loqui.*

Partitio operis.

In Pſ. 118. octon. 1.

Dial. 25. Conuiuium.

Tertul. l. de pœnit.

Ambroſ. in Pſ. 118. octon. 1.

PARS PRIMA.

Curam pro mortuis authoritate niti & ratione, eámque procul ab omni crimine abesse.

CAPVT SECVNDVM.

Authoritas prima petitur ab Apostolicâ traditione.

Antiquitas huius dogmatis.

I. ATque vti rem aggrediar, miror inprimis, quî tibi venerit in mentem erroris huius, vt vocas, originem, ad Gregorium septimum reuocare, cùm posses ad primum, imò cùm posses ad originem fidei Christum, vt mox intelliges. Certè, ne Caluinus quidem antiquitatem nobis inuidit, qui fatetur hoc mortuorum, vt appellat, *carmen ante annos mille & trecentos vsu receptum esse.* Lutherus autem *ante annos mille & quingentos.* Zuinglius denique tertium hæresis caput (nam vt in hydrâ multa fuere) ab ipsis Apostolis traditum ex Augustino Chrysostomóque refert, quanquam indulgentiâ, vt putat, infirmitatis.

Calu. l. 3. initit. c. 5. Luther. Ep. ad March. Brandebur.

Orandi, inquit, *& sacrificandi morem pro defunctis Augustinus & Chrysostomus tradiderunt ab Apostolis ad nos vsque manasse; quod vehementer admiror, &, si verum est, non puto Apostolos aliâ de causâ quàm indulgentiâ infirmitatis hoc quibusdam permisisse.* Quam etiam sæpe causam Caluinus allegat, vt & Petrus Martyr, qui sic habet. *Solet obijci nobis Ecclesiam semper pro defunctis orasse*, QVOD NON INFICIOR, *facilè enim mouentur homines naturali quadam in defunctos charitate.*

Zuingl epichær. de Canone Missç.

In cap. 3. 1. ad Corinth.

Absurditas erroris.

II. Itaque si vos audimus, ab Apostolis, & ab ipso fidei fonte manauit error, id est *crimen ex multis blasphemiis conflatum, & nouis quotidie auctum.* Quid hîc admirer? Vestrámne imprudentissimam in hac defensione confessionem? an nobis communem cum Apostolis, impudentissimam (pace tuâ dixerim) in hac actione criminationem? Nam si ab Apostolis & ab Ecclesiâ semper, iam inde à primâ origine profluxit error, næ tu ruinam in fundamento quæris, atque in ipso veritatis, vt ita dicam, meditullio, falsitatem, hoc est tenebras cum luce, Belial cum Christo, pugnantia inquam, ac planè incompossibilia compo-

componis. Et quæ deinde membris integritas, si caput ipsum ægrotat? quæso te, rem, vti digna est, expende.

Vrgentur. Luther. l. de potest. papæ Calu. l. 4. instit. c. 4. §. 3.

III. Ex vnâ parte doces veritatem constare nobis, dum Ecclesiæ sinu continemur; *de nullo priuato homine* (inquis) *certi sumus, habeat necne reuelationem patris: Ecclesia autem ipsa est, de quâ dubitare non licet.* Et iterum. *Veritatem nobis semper constaturam securi sumus, dum in Ecclesiæ sinu continemur.* Ita nouissimè duo falsi testes, sed verissimè Lutherus atque Caluinus. Parte aliâ fateris Ecclesiam in hoc errore semper esse versatam. *Fateor*, inquit Caluinus, *omnes in errorem abreptos fuisse. Non inficior,* inquit, Petrus Martyr, *Ecclesiam semper pro defunctis orasse.*

His positis, iam animaduerte qualiter vtrinque conclusum vtrumq; vrgeam, te & illum. Nam vel in hac consuetudine non est error, vel Ecclesiæ nulla est securitas, quam asseris tamen. Quippe quæ si semel errori patet, semper patet. Dubia fides vtriusque partis incerta, certa neutrius, etiam cùm non fallit, fallit, quia licèt non mentiatur semper, semper est mendax, & consequente vero,

onsequentia nulla est. Vel ergo veritatem Ecclesia præstat vbique & semper, vel securitatem nunquam. Erit enim in omni re periculum, ne quis error ab Apostolis *infirmitatis indulgentiâ* subrepserit.

Quid hîc dices?

Ecclesiam errare negas an concedis? si non errat, ergo non erramus, quia cum Ecclesiâ, quæ non errat, pro defunctis oramus: si nobiscum errat, ergo nulla est fides; cecidit enim firmamentum & columna veritatis, & facta est erroris ipsa magistra sibi, ministra nobis. Quid est enim Ecclesia nisi queēadmodū Caluinus ipse definit, ORTHODOXORVM *certus & perpetuus consensus?* qui sunt autem Orthodoxi nisi Apostoli & antiquissimi ab Apostolis patres, quales Irenæus, Clemens, Dionysius, & cæteri quos deinceps in medium adducam. Qui si omnes in errorem abrepti sunt, ídque semper, vt vis; vbi tot antè sæculis, vel in sponso Ecclesia, vel in Ecclesiâ sponsus, sic iste deserens, sic illa deserta? quando credidit, si semper errauit? vbi stetit, si iam inde ab initio cecidit? imò quomodo cecidit, si nunquam stetit? Et

Calu. l. contra Pighium.

& quomodo dicitur Regni eius in dom. Iacob non esse finis, cuius ne principium quidem inuenitur? Vbi Petra quam non vincunt *superbæ inferorum portæ*? vbi Petrus, cuius fides non deficit? vbi spiritus veritatis ad hoc datus à Patre, vt maneat nobiscum in æternùm? Postremò quomodo cecidit firmamentum ante finem mundi, & vt arguitis, ante fidem Christi, primordiis in ipso fonte, parum est, etiam ab ipso fonte vitiatis, nimirum ab Apostolis, indulgentiâ infirmitatis? Hoccine fuit, quod olim spondebat, cùm diceret, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*? cùm clamaret, *& portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*?

Aug.

IV. Enimuerò quis neget præualuisse, si tantum & tale crimen inualuit? & tamdiu? & apud omnes, & ante omnes? nemine præter Caluinum excepto? O Petra super Petram! Sed ô petra scandali super petram veritatis! Quid enim horribilius dici potest, si non solùm à Fide Christianus excidit, sed & ipse Christus, qui promissis non stetit? quale portenti genus, vt prædicentur Apostoli sceleris, *exitialisque Sathanæ commenti* non parti-

Contradictio manifesta.

cipes modò, ſed Authores etiam, atque Archifabri? ídque,vt infirmitati peccantium indulgerent? & cùm hoc inconſultè inconcinnéque fateantur, tum iactare non ceſſant in vulgus nouum eſſe commentum nuper à Gregorio ſeptimo excogitatum, pugnantibus inter ſe magis, quàm contra nos ſententiis. Sed hoc habet omnis hæreſis, vt Amphiſibænæ ſerpentis adinſtar in contraria currat, & à ſeipsâ reſiliat, incerta omnium, incertiſſima ſui. Eſt vt vipera quæ cùm parit, perit; eſt vt vulpes, quæ caudâ ſupprimit, quod veſtigio exprimit, anfractuum amica ſimul & tenebrarum; vt verum ſit illud fatidici Regis, *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum. Horrenda via: tenebras quis non horreat? lubricum ſolùm quis non caueat? in tenebris & lubrico quâ is? vbi pedem figis?*

Ergo quoniam vtrumque modò concedis, modò negas, enitendum mihi, itáque probandum vnum eſt, vt etſi Proteo ſis & angue verſutior, vndique conſtrictus elabi non poſſis. Neque enim ſic anceps animi, & vtroque pede claudicans intrabis in arcem Sion, multo minus in arcem cæli, quæ eſt CIVITAS VERITATIS. Zachar.

CAPVT TERTIVM.

Authoritas secunda petitur à Scripturâ quam non recipiunt.

Duo libri Machab. Canonici.

I. AVthoritate pugno & ratione; sed authoritate primùm, ac eâ maximè, quæ maximè à vobis refellitur. Nam ad Machabæi nomen tanquam ad hostilis tesseræ sonum protinus inhorruisti, vociferans, ac præ te vndique ferens, hunc à te librum non recipi, eo arbitror consilio, quò ne auderem postea tanti viri testimonio contra te abuti. Nihilominus insto fugienti, petóque, quam ob causam nutet apud te Machabæorum fides, quæ apud Tyrannum non nutat, neque apud Ecclesiam, vt patet ex appendice, quam huic paginæ subieci.

Testimonia de libris Machabæorum.

Egesippus anno 160. in Proëmio.

M*Achabæorum quoque res gestas* propheticus sermo *paucis absoluit, &c. Nota hæc verba* [propheticus sermo.

Origenes 230.

lib. 2. de Principiis c. 1.

Vt autem ex Scripturarum *authoritate hæc ita se habere doceamus, audi quomodo Machabæorum libris, vbi Mater septem Martyrum, &c. Nota* Scripturarum authoritate.

Cyprianus 250.

Epist. 55.

Cùm occurrat & moneat Scriptura diuina *dicens*; verba viri peccatoris ne timueritis; quia gloria eius in stercora erit & in vermes. *Textus hic è* 2. *Machab. desumptus, & dicitur* Scriptura diuina. 2. Mach.

Concilium Carthaginense tertium. 397.

Cap. 47.

Placuit vt præter Scripturas Canonicas in Ecclesiâ nihil legatur, sub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ: *Genesis, Exodus, Leuiticus, Esdræ libri duo*, Machabæorum libri duo, &c.

Augustinus. 400.

De Doctrinâ Christianâ l. 2. c. 8.

Totus Scripturarum Canon *his libris continetur: quinque libris Moseos, &c. Iob, Tobias, Esther, Machabaeorum libri duo, &c.*

De Ciuitat. Dei l. 18. c. 36.

Machabaeorum libros non Iudaei, sed Ecclesia pro Canonicis *habet.*

De curâ pro mortuis. c. 1.

In Machabaeorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, *quæ in hac consuetudine claret, authoritas. Nota,* vniuersæ Ecclesiæ.

Innocentius I. 410.

epistol. 3. ad Exuperium.

Qui verò libri recipiantur in Canone, breuis annexus ostendit; Mosis libri quinque, &c. Hesther vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, *Esdræ duo, &c.*

Eucherius Lugdun. 450.

Homil. de Machabæis.

Hodie sacras septem Martyrum palmas per vniuersam Ecclesiam Fides Catholica, *hostili gladio corroborata concelebrat.*

Leo

Leo I. 445.

Sermone de Machabæis.

Causam solennitatis hodiernæ Sacræ Historiæ *lectione didicistis, &c.*

Gelasius. 490.

in Decretis.

Ordo veteris Testamenti librorum, quem Sancta & Romana suscipit Ecclesia: Genesis liber vnus, Exodi liber vnus, &c. Esdræ liber vnus, Machabaeorum liber vnus, &c. Nota quòd sicuti cùm dicit, Esdræ liber vnus, Esdræ & Nehemiæ duos libros vno volumine contentos intelligit; sic cùm ait, Machabaeorum liber vnus, vtrumque recipit, & neutrum excludit.

Isidorus Hispalensis. 600.

l. 6. Etymol. c. 1.

Quartus apud nos ordo veteris Testamenti est eorum librorum, qui in Canone Hebræorum non sunt. Quorum primus est liber Sapientiæ, quintus & sextus Machabaeorum: quos licèt Hebræi inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros *& honorat, & prædicat.*

Ioan. Damascenus. 730.

oration. de defunctis.

Animaduertite enim quid Scriptura Sacra *de Iudâ Machabæo memoriæ prodiderit; nimirum eum in Sion Regis magni ciuitate, cùm populum qui præerat, ab exteris hostibus cæsum & obtruncatum vidisset, sinúsque eorum excutiens, condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causâ, Domino ad misericordiam prompto ac propenso pro vnoquoque eorum munera obtulisse, in eáque re* summæ pietatis munere *perfunctum fuisse. Vnde etiam factum est, vt* diuina Scriptura, *quemadmodum omnibus alijs nominibus, ita hoc quoque nomine eum summis laudibus euexerit, ac mirificè commendarit.*

Rabanus Maurus. 850.

de Institutione Cleri. l. 2. c. 53.

Libri veteris Testamenti sunt; Mosis libri quinque, &c. Tobiæ quoque, Hesther, & Iudith singuli, Esdræ duo, & duo Machabæorũ.

His adde duo Concilia œcumenica, Florentinum ac Tridentinũ. Huius verba sunt. sess. 4. decr. de canonicis Script. Sacrorum verò librorum indicem huic decreto ascri-

bendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quínam sint, qui ab ipsâ Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrascripti: duo Machabæorum primus & secundus. *Eundem indicem habet Florentinum in fine Epistolæ Eugenij ad Armenos.*

II. Vides ex omnibus retrò sæculis citata testimonia Conciliorum & Patrum: Egesippi, Origenis, Cypriani, Concilii Carthaginensis tertii, Augustini, Innocentii primi, Eucherii, Leonis primi, Gelasii item primi, Isidori, Damasceni, Rabani, Synodorum Florentinæ & Tridentinæ. Quæ vbi perlegeris, quęram à te, quâ fronte dici possit à vobis, altum de his libris apud omnes extitisse silentium? Sic enim Okinus, VVitrakerus, Zuinglius, Brentius, &c. Quid? erant hi Patres ignoti? At at nihil clarius. Erant contemnendi? at nihil grauius, & si suffragia numeres, præstant multitudine; si ponderes, authoritate. Denique est Ecclesiæ vox & antiquitate prima, & iure suprema? quid igitur aliud esse causæ putem, nisi quòd hæresis vestra, quasi sub hastâ

Mendacium aduersariorum.

Bernardinus Okinus Dial. de purgator. Omnes sacri doctores qui sacrarum literarum Catalogum percensent, de Machabæis nullam mentionem faciunt VVitak. disp. de Sacrâ Scripturâ. Zuingl. tom. 1. art. 57. vbi hunc librum comparat Æsopi fabulæ. Brentius, Lutherus, Caluinus idem sentiunt.

foret, ex omnibus orbis angulis erectâ ceruice cucurrit aduersùs Deum, certatim auctionatura mendacium? Quonam enim pacto silent omnes, si clamant omnes? nisi fortè sit idem vobis clamor omnium, & silentium vniuersorum?

Validitas huius testimonii.

III. Iam hoc insigni refutato mendacio, videamus, quod & quale sit huiusce libri testimonium. *Sancta*, inquit, *& salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quis hoc dicit? illa nimirum sacra, canonica, diuina Scriptura, ille propheticus sermo, illi diuini libri, quos *Ecclesia, quæ* errare nõ potest, *pro canonicis habet, quos inter diuinos libros & honorat & prædicat.* At ego non recipio, inquis. Non recipis tu? Quis es tu, & quod est caput tuum prę tantis non dicam oratoribus, sed oraculis? Deinde quorsum non recipis, nisi quia te damnat? sic enim adultero lex adulterij nõ placet, nec furti, furi; nec homicidii, homicidæ. Nemo nocens Iudicem amat, nemo reus legem.

Quæstio est igitur, vtrum damnanda sit lex quæ reum damnat, an reus qui legem. At eos neque recipiunt Hebræi. Quid tum, si recipit Ecclesia, si pro Canonicis, pro diuinis habet? An authorita-

tis plus Synagogæ tribuis, quàm Ecclesiæ? O nouam constituendi Canonis rationem! Ex hostibus Ecclesiæ, Ecclesiæ petitur Fides. Et quid hoc est, nisi iterum Christo Barabbam anteferre?

Audiuntur Hebræi; audiantur sanè, sed ex toto. Tu quorum authoritatem contra nos occupas, eorundem consuetudinem pro nobis recusas, dimidiato in tuos vsus, vtcunque testimonio. Nam quâ parte tuo adstipulantur errori, præfers Ecclesiæ, quâ verò parte eidem refragantur, postponis adulteræ, id est hæresi tuæ. Quid hoc monstri est? fallacésne sunt an veridici? Si primum, relinquantur; si secundum, admittantur; quis enim ferat, vt coniuratis contra Ecclesiam hostibus, contra Ecclesiam habeatur fides, pro Ecclesiâ denegetur? Procurandam aiunt mortuis quietem, hic mos, hæc eis ab omni retro memoriâ Fides. Non admitto, inquis. Porrò non habendam Machabæis canonicam fidem, hic error hominum, hæc hæresis: id verò (ais) amplector. Quare? quia alterum pro me est, alterum contra me. O te ridiculum! qui figis limites intra vnicum vnius authoritatis punctum, qui in-

secta secas, qui indiuidua diuidis! O te superbum! qui pro arbitratu legem damnas & absoluis! denique ô te temerarium! qui argumento nixus ancipiti, fidéque Synagogæ controuersâ, quam astruis testimonio, eandem imprudens destruis exemplo; quasi stet ipsa sine basi, aut possit esse firma basis altero pede stante, altero cadente! *Non creditur semel mendaci*; non admittitur criminosa, neque placet vtrique rea, mihi tibíque; mihi, testimonio suo, quod Ecclesiæ contrarium est; tibi, facto suo, quod blasphemum putas.

Instantia. IV. Nam si non erat illis cura mortuorum, quamobrem vel à supremo Iudice duodecies mille drachmarum summa tanta, tantâ pietate committitur, vel à summo Clero tanta, tantâ facilitate recipitur? Si inusitatum est, vbi nouitatis stupor? si prophanum, vbi pietatis horror? si sacrilegum, vbi vestium, vbi vocis pro more fragor? Quid? impunè peccant omnes, & non hiscitur? contra legem fit, & laudatur? Machabæum efferunt in astra, hominem si vera sentitis, impium, blasphemum, atque adeò primum ipsum impietatis, blasphemiæque primipilum.

CAPVT QVARTVM.

Tertia Authoritas petitur à Sripturâ quam ipsi recipiunt.

I. QVid dico autem primum ipsum? Certè Tobias multò ante *panem & vinum super sepulturam Iusti constitui iubet*: id est vocari pauperes ad conuiuium oraturos pro mortuo. *Post mortem enim tuorum* (inquit Chrysost) *pauperes conuocas, & Presbyteros, eósque vt pro illis velint orare, obsecras.* Item apud Isaiam Dominus dicitur *abluere sordes filiorum & filiarum Sion in spiritu iudicij & combustionis*; quem locum Augustinus exponit de purgatorio apud inferos igne. Ante hunc quoque Michæas *iram se Domini, cùm sederit in tenebris, portaturum affirmat, donec* (inquit) *iudicet causam meam.* Ante hunc Zacharias, apud *quem Dominus in sanguine testamenti sui vinctos suos educit è lacu, in quo non est aqua.* Item apud Malachiam, *sedet quasi ignis conflans, & purgat filios Leui.* Item apud Paulum, *vt quid* (inquit) *baptizantur pro mortuis?* Item in Euangelio, *Non exies inde, donec, &c.* Vidésne quot in tuum recidant testimo-

Tob. 4. *Varii textus.* Homil. 32. in Math. Isa. 4. l. 20. de Ciuit. c. 26. Mich. 7. Zach. 9. Malach. 3. 1. Cor 15. Matth. 5.

nia caput veluti totidem amentata tela?

Vrgentur. II. Mecum igitur ipse iam certa. Iudæos oppone Iudæis, te tibi, & vtrumque errori. Quid? erúntne inter apocryphos etiã hi libri? erítne Paulus exhibens baptismum pro mortuis? erítne Christus carcerem intentans contra mortuos? Ille saluificum ignem, hîc peccatum in altero sæculo remittendum & non remittendum? *Quod enim de vno negatur, de quibusdam conceditur*; infert Gregorius non septimus, sed primus. Remittitur debitum, aperitur carcer, extinguitur ignis, educitur vinctus è lacu, in quo non est aqua, abluuntur sordes filiorum Leui in spiritu iudicij & combustionis: vbi? in inferno? At in inferno nulla redemptio. In cælo? At in cælo nulla purgatio: nam sicut illic fœda sunt omnia, ita hîc munda sunt omnia. Medium ergo spatium necesse est inter ambas vtrinque metas misericordiæ & furoris, vt cum fatidico Vate canatur *misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Lib. 7. Dial. 4. c. 39.

Psal. 100.

Authoritas Patrũ. III. *Hæc est* (inquit Dionysius) *sacrosanctæ Scripturæ traditio. Hic est ignis ille Pauli* (addit Origenes) *consumens stipulam & fœnum.* Et Epiphanius, *Est traditio à*

par. 3. Ec. Hier. c. 7. In epist. ad Rom. hæres. 75.

Patribus accepta, & in Scripturis, & sine scripto. Chrysostomus autem appellat *dogma diuinæ misericordiæ.* Et Hilarius, *ollam Hieremiæ decoquentem ac vrentem peccata.* Habemus itaque oppositas Patrum ex aduerso sententias: vobis est nouum infandúmque crimen, illis *sacrosancta Traditio*; vobis contumelia misericordiæ irrogata; illis *illius dogma*; vobis ignis ex blasphemijs conflatus, illis *olla decoquens peccata*; vobis denique Sathanæ commentum, illis Christi Moysísque testamentum. Homil. 25. in Act. In Psal. 59.

Cùm igitur in eandem omnes ex æquo conspirent Fidem Apostoli, Lex & Prophetæ, Patres, & filii filiorum, hoc est vniuersa simul Ecclesia, quid? erísne tu solus, alter vt è syluis Ismaël, cuius manus contra omnes, & omnium contra te?

Sed, ô dilecte, ne Hercules quidem contra duos, quanto minùs contra vniuersos? *Conclusio.*

IV. Obiicis deinde vetitum in Leuitico, ne quis super mortuo carnem incidat, figurásve aut stigmata membris inurat. O telum formidabile! & vbi apud nos incisa super mortuo membra vidisti? vbi characteres ignitos? & stigmata *Obiectio.*

nia caput veluti totidem amentata tela?

Vrgentur. II. Mecum igitur ipse iam certa. Iudæos oppone Iudæis, te tibi, & vtrumque errori. Quid? erúntne inter apocryphos etiã hi libri? erítne Paulus exhibens baptismum pro mortuis? erítne Christus carcerem intentans contra mortuos? Ille saluificum ignem, hîc peccatum in altero sæculo remittendum & non remittendum? *Quod enim de vno negatur, de quibusdam conceditur*; infert Gregorius non septimus, sed primus. Remittitur debitum, aperitur carcer, extinguitur ignis, educitur vinctus è lacu, in quo non est aqua, abluuntur sordes filiorum Leui in spiritu iudicij & combustionis: vbi? in inferno? At in inferno nulla redemptio. In cælo? At in cælo nulla purgatio: nam sicut illic fœda sunt omnia, ita hîc munda sunt omnia. Medium ergo spatium necesse est inter ambas vtrinque metas misericordiæ & furoris, vt cum fatidico Vate canatur *misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Lib. 7. Dial. 4. c. 39.

Ps. 100.

Authoritas Patrũ. III. *Hæc est* (inquit Dionysius) *sacrosanctæ Scripturæ traditio. Hic est ignis ille Pauli* (addit Origenes) *consumens stipulam & fænum.* Et Epiphanius, *Est traditio à*

par. 3. Ec. Hier. c 7. In epist. ad Rom. hæres. 75.

Patribus accepta, & in Scripturis, & sine scripto. Chrysostomus autem appellat *dogma diuinæ misericordiæ.* Et Hilarius, *ollam Hieremiæ decoquentem ac vrentem peccata.* Habemus itaque oppositas Patrum ex aduerso sententias: vobis est nouum infandúmque crimen, illis *sacrosancta Traditio*; vobis contumelia misericordiæ irrogata; illis *illius dogma*; vobis ignis ex blasphemijs conflatus, illis *olla decoquens peccata*; vobis denique Sathanæ commentum, illis Christi Moysíisque testamentum.

Homil. 25. in Act. In Psal. 59.

Cùm igitur in eandem omnes ex æquo conspirent Fidem Apostoli, Lex & Prophetæ, Patres, & filii filiorum, hoc est vniuersa simul Ecclesia, quid? erísne tu solus, alter vt è syluis Ismaël, cuius manus contra omnes, & omnium contra te? Sed, ô dilecte, ne Hercules quidem contra duos, quanto minùs contra vniuersos?

Conclusio.

IV. Obiicis deinde vetitum in Leuitico, ne quis super mortuo carnem incidat, figurásve aut stigmata membris inurat. O telum formidabile! & vbi apud nos incisa super mortuo membra vidisti? vbi characteres ignitos? & stigmata

Obiectio.

Ferro ignito scapulas Caluino ambustas ob sodomiticum crimen vide apud Cardin. Richelium in Controuersiis.

idoli Catholicis inusta membris? Sciò, noui, noui vbi sint characteres igniti: vbi lilia candentia; quibus in armis impressa, armos dico, non arma: vbi stigmata non Christi, non Pauli, sed turpissimi (pudet dicere) nefandíque flagitii. Næ te haud parum incautum, qui mihi etiam nolenti in hæc tuæ Sectæ nullis vnquam interitura sæculis opprobria mentẽ retorqueas! Parco tibi. Tantùm aduerte, quid à tam fœdâ radice sperare te oporteat?

Equidem mirari satis non possum hunc hominem (Caluinum dico) ita capite diminutum, ita regiis insignem armis, cauterióque notatũ, vel semel auditum à vobis in causâ salutis, etiam contra Patres, & quod multò fœdius est, etiam contra Matrem.

Conclusio.

V. Sic igitur vno verbo tota res conficienda nobis. Quod vniuersa docet Ecclesia, id enimuerò Fide certissimum est. Patet, etiam approbantibus Luthero atque Caluino; *de Ecclesiâ enim dubitare non licet, de quâ securi sumus.* Hæc audisti. Atqui dogma pro mortuis vniuersa docet Ecclesia, docuítque semper, te quoque confitente. Probaui. Quid deinde? Ergo dogma pro mortuis indu-

bitatâ Fide certiſſimum eſt. En conſequentia clara, primæque figuræ. Item, Quod canonica docet Scriptura, ſine hæreſi diſcredi nequit. Eſt enim Scriptura regula Fidei, tua, mea, omnium. Iam ſanctam ac ſalubrem eſſe cogitationem orare pro mortuis docent canonici libri, imò & Euangelici. Probaui. Sequitur ergo nec ſine ſummâ pietate credi, nec ſine manifeſtâ hæreſi diſcredi. Hæc eſt prima Concluſio.

CAPVT QVINTVM.

Ratione conſtabilitur hæc ab omni crimine immunitas.

I. NVnc quoniam authoritate fateris ipſe te deſtitui, videamus an ſaltem vllâ ratione, & quâ tandem probare poſſis hunc ignem ex blaſphemiis eſſe conflatum.

Blaſphemia definitur, cùm aliquid Deo per ſummum nefas aut affingitur vltra quàm decet, aut adimitur contrà quàm licet. Age, ſi quid eſt huiuſce generis in hac ignis emendatorii fide, iam exprome. Demitúrne Deo iuſtitia? imò vindicatur etiam in ſuis, *in ſpiritu iudicij*

& combustionis. Anne misericordia? imò regnat etiam in inferis, cuius est dogma, vt audisti. Sanctitásne? imò procuratur

Mach. 2. etiam in inferiis. *Sancta enim & salubris cogitatio*. Quiáne de morte cogitatur? Philosophia est. Aut à morte carcer exhibetur? Euangelium est. Aut anima liberatur ab igne, & à tali igne, quo nihil immanius, vt audies postmodum? Et hæc est summa pietas, vt Damascenus appellat.

Vrgentur. II. Res mira! Si Philosophus inter ossa mortuorum noctuabundus cubet, hominis sapientiam fers in astra, laudásque vehementer; idem ego si Christianus præstem non ad inanis ostentationem Philosophiæ, sed ad veræ pietatis officia prosequenda, ad nouissimorum memoriam præ oculis habendam, ad extremi judicii metum salutarem animo retinendum, vitámque eo statu componendam quo vellem mori; in hac, inquam sollicitudine constitutum, tanquam sacrilegum atque blasphemum indignissimis habes modis. Ego verò causam requiro.

Difficultas. III. *Euacuamus* (inquis) *crucem Christi*. Hoc dicis, hoc non probas. Paulus

contrà clamat adimpleri. Nam si hîc possunt aliqua suppleri, quæ desunt passionum Christi, cur non illic? Si viui (inquam) possunt eximi à pœnis intercessione Martyrum, cur non & mortui? Si per aquam purgari, quare non per ignem, cùm ex Origene, imò ex oraculo geminum in Ecclesiâ sit ignis & aquæ balneum, *Transiuimus* (inquit) *per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, hîc per aquam, vt abluantur peccata; illic per ignem, vt exurantur.* Ita Ambrosius. At Chrysostomus, *Non frustra fiunt oblationes pro defunctis authoramento diuini spiritûs, qui nos ad mutua charitatis officia compellit; si enim Iobi filios expiabat hostia patris, cui dubium potest esse, quin id multo magis præstet iis, qui excesserint, hostia Christi? Nam si pro viuis interceditur, cur non & pro mortuis, cùm vtrorumque vna sit vita, conditio par, necessitásque communis?* Ecce, vides, docet morem antiquum Ecclesiæ tulisse, vt oblationes fierent pro defunctis, ídque S. Spiritus impulsu, & charitatis alendę gratiâ: quod etiam exemplo Iobi corroborat, opponens hostiam hostiæ, id est, sanguinem Christi sanguini tauri: ac ne obiiceres

Homil. 25. in Num.

Ps. 65.

Orat. 41. in Acta.

illic immolatum pro viuis, *nihil* ait *interesse mortuos inter & viuos.* Sic ille rem, morem, authorem, causam, fructum atque finem eodem argumento pertexuit antiquissimus & Gregorio non tantùm septimo, sed etiam primo prior.

Grauitas ac vtilitas huius argumenti.

IV. Verum enimuerò, quoniam hæc te de prophanatione sanguinis Christi, déque eius meritorum imminutione religiosa suspicio vehementer angit, eum ego tibi scrupulum ex animo statui radicitus eximendum; hoc vnum antè precatus, vt neminem indictâ causâ malo more condemnes, seu præiudicio sectæ tuæ, siue etiam tædio atque huius austeritate materiæ. Quid tibi vis? *Amaritudo ista sermonum, medicina est animarum. Vrit te, sed sanat te.* Denique instar est hami; dum capitur, capit, & te de profundo gurgite, vbi mersus es, in cælum, vnde cecidisti, trahit. Vt igitur ita feliciter capiaris, cape, & esto Christianus ille, quem ex Prophetâ Macarius describit, totus oculus, totus auris, quatuor habens ex omni parte frontes vnus, nihil, vt sol, tergi.

Ambrof. serm. 2. de grano sinap. Aug.

CAPVT SEXTVM.

Occurritur obiectioni propositæ de iniuriâ Christi.

I. DVo sunt omnino, quæ adimi Christo possunt à nobis hac pro mortuis intercessione Sanctorum; quorum alterum est ipsa diuinæ personæ dignitas, vt quæ fortassis obscuriore loco, gradúque suo minor habeatur, alterum est amplitudo meritorum, vt quibus haud vsquequaque fidentes, ad aliorum merita coaceruanda recurramus; sed in neutro succedit tibi. Nam cùm à nobis, vt superiori disputatione constitutum est, de Diuinitate Christi nullatenus ambigatur; sicuti Deum verè credimus, ita & infiniti sanguinem eius esse pretii, & summo eum vbique latriæ cultu prosequendum putamus, quia nihil in Deo non immensum, nihil non inexhaustum, qui aliunde Deus non est, nisi quia nihil deest. Hinc illa superabundantis gratiæ profluuia, quæ ex Pontificio Clementinæ jure redemptioni centies mille mundorum paria dicebamus. Hinc mensura sine mensurâ, & modus sine modo; *so-*

Ecclesiæ summus in Christum honor.

lus enim ille, vt eximiè Bernardus, *non habet modum, qui habet totum.* Ille principium, ille finis; primus & nouissimus: ex illo, ab illo, & in illo sunt omnia. Caput ipse nostrum est, fons & origo vitæ; Christus, inquam, omnia nobis est ante mortem, in morte, & à morte, viuis atque defunctis. Hæc Ecclesiæ Romanæ fides.

Quæ cum ita sint, quæro ego nunc à te, quod sit actionis in nos tuæ vel leuissimum argumentum? Quid expostulas? Ecce nos vmbram eius, & vmbram seruorum eius, & scabellum pedum adoramus in terrâ, speciem in Eucharistiâ, spem in cruce, lignum, clauos, lanceam, spinas, omnia denique Christi nobis diuina sunt, omnia summa; quia de Deo nunquam angustè cogitat qui Deum semper cogitat. Imò propterea nos idololatras, ac per omnia superstitiosiores vis esse, quia in omnibus officio nimios ac superstites putas esse. Si excedimus, quomodo deficimus? si pietas nostra supra debitum est, quomodo infra debitum est? si vbique nimis, quomodo nunquam satis? *Et non erant conuenientia testimonia eorum.*

II.

II. Sed si ita est (inquis) quî fit igitur, vt meritis Christi diffisi, ad aliorum merita nouo quasi thes auro confugiamus? Cur enim (instat Caluinus) *sanguinem Martyrum sanguini Christi commiscemus? nisi vt huiusce velut exarescentis & exhausti defectum aliunde suppleamus? nempe ex Martyrum redundanti satisfactione?* Ad hoc jam respondi tibi, cùm de intercessione agerem pro viuis, id nimirum fieri non defectu valoris, sed partim arbitrio acceptantis Dei, qui in quas velit conditiones, repropitietur nobis; partim etiam vt per gratiam Martyrum, Christi potentia magis ac magis elucescat. Exemplo rem cape. Sit obrutus ære alieno miser, anhelans, captiuus, qui in nominibus iaceat infinitis, neque soluendo sit, iam foro, iam toto ab orbe proscriptus amicus tuus. Quid hîc facias? adis per amicos communes filium Regis, quorum interuentu litrum impetras. Age, responde, hac intercedendi ratione fítne iniuria filio Regis? certè ne per vmbram quidem. Quid ita? quia videlicet amicorum tota gratia, quantacunque est, habet à filio Regis originem, vim, atque pondus: imò quædam illius *Difficultas prima.*

appendix est, & vt ita dicam, stolo ac germen è radice succrescens. Non enim meritis merita sociantur, vt augeatur eius potentia, sed vt exeratur applicetúrque interuentione gratiosorum.

En doctrina Patrum & nostra. Ille obrutus ære, ille in nominibus tantis, debitor decem millium talentorum peccator est amicus tibi, inimicus sibi, proximus tuus, prodigus Dei. Ergo foro pulsus, fato functus, exul ab orbe, ligatis pedibus & manibus mittitur in carcerem, non exiturus inde, donec soluerit vsque ad nouissimum quadrantem. Sed vnde soluat qui soluendo non est? Adeuntur amici communes, audiuntur, sed non aliter, quàm per merita gratiámq; Christi. Sic enim habet. *Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor. remissionem tribue. Absolue quæsumus. Inclina Domine aurem tuam. Miserere animæ.* Quâ gratiâ? *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Hæc oratio, hic Ecclesiæ Thesaurus, hic Regni fiscus, hęc omnium omnísque fiducia. Ideo exorant iratum Patrem, quòd placabilem habeant Filium; habent autem placabilem, quia Martyres eius sunt; multáque pro Chri-

ſti nomine immaniáque ſupplicia pertulerunt. Hoc eſt illud donarium ſanctæ plebis, quod in figurâ Templi Solymæi Theſauro Regis vtcunque adiungitur.

III. Ad argumentum igitur ita reſpondeo. Caluinus opponit Chriſti *ſanguinem prophanari ac velut areſcentis exhauſtique defectum aliunde ſuppleri, nempe ex Martyrum redundanti ſatisfactione, & ita ex vtroqne Theſaurum Eccleſiæ confici ad ſatisfactionem & remiſsionem peccatorum. Hæc ſunt* (inquit) *placita noſtra.* Ego verò tam ſecurè quàm iſte præfractè: nego calumniam. Nego prophanari ſanguinem. Nego commiſceri. Nego Theſaurum ex vtroque confici, ſic vt aliunde defectus ſuppleatur. Erras, Caluine, totóque latè cælo vehementer erras. Hoc non dicimus. Hæc non ſunt placita noſtra. Neque enim defectus eſſe poteſt, vbi ſuperabundans eſt ſatisfactio, neque ſanguis exareſcit, qui cùm pretii ſit immenſi, ſcaturigine neceſſe eſt, vt infinitâ quoq; ſit & inexhauſtâ. Interueniunt, fateor, intercedunt Sancti, non vt ſatisfaciant, aut ſanguine ſuo redimant, ſed vt per Chriſtum impetrent, participatione meriti, non partitione: ne- *Soluitur.*

que ad diuidendū caput, sed ad vnienda membra. Vno verbo gratia gratiæ est,& lumen de lumine. Exorat mater: vnde? non quia Christus est, absit, sed quia Christiana, sicut & cęteri: Filij merito, non suo, aut si suo, per Christum suo.

Confirmatur. IV. Quam si vos responsionem ita probastis in intercessione pro viuis, vt quemadmodum ostendi, ferendas imagines, eásque preces quæ ante illas obeuntur, ab omni crimine immunes publico solenníque decreto statueritis: nam quæ noua vobis iniecta religio est, quò minùs idem de intercessione pro defunctis, eâdémque ratione sanciatis? quid enim quæso refert ad iniuriam Redemptoris, quam times, vtrum pro viuis an pro defunctis intercessio fiat? planè vel obest vtraque, vel neutra; cùm vtrobique sit idem intercedendi modus, eadémque meritorum Christi cum meritis Martyrum interuentio. Hoc est enim quod aiebat Chrysostomus, nihil admodum interesse, mortuíne sint an viui. Quid? non Abrahamus inuocatur à diuite defuncto, próque defuncto? Si igitur inuocationi nō erat locus, quare rogabatur? aut si rogabatur ante Christum, qua-

re non & post Christum, & in Christo? Si in inferno, quanto magis in cœlo? si pro diuite dãnato, quanto magis pro paupere, pro menbro Christi, próque Christo? sic enim ille: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Nonne dicit Apostolus de tali membro Christi? *Saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Nonne dicit; *Vt quid baptizantur pro mortuis?* hoc est affliguntur. Est enim ex Nazianzeno quintum baptisma lachrymarum. Or. de Epiph.

V. Vbi igitur illud horribile dogma quod iactabas? vbi Crucis euacuatio? vbi Sanguinis prophanatio, ab ipsis etiã Apostolis (si Superis placet) in Ecclesiam inuecta, & per omnes anteactæ Religionis ætates auidè à Patribus retenta, tum ante Christum, tum post Christum? vbi postremò exitiale Sathanæ commẽtum, quod Fidem labefacit, ac contumeliam misericordię Dei non ferendam irrogat? Apage inconditos insanientis animę clamores. Bile res non conficitur, sed ratione; neque per conuitia, sed per argumenta. Noli clamare *ludibrium Diaboli, commentum, imposturam, gratiam Iesu Christi plumbo membranæque Papæ inclusam aut affixam.* Crede mihi, ridentur hęc à no- *Conclusio.*

bis, exploduntur vt muliebria tela, *quia*
Ps. 63. *sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.*
Obiectio. VI. Nam quod expostulas de cereis, quos ab Elibertinâ Synodo prohibitos refers, *propterea quod non sint inquietandi spiritus mortuorum*; iam prędixi nos abusum, si qui fuit olim in intercessione pro viuis aut defunctis, minimè probare; enimuerò tum ad sepulchra more Paganorum ibatur, & animabus reficiendis panis & vinum inferebatur; tum luminaria, tum faces illuminandis earum tenebris accendebantur. Hic erat error, hoc vetabatur; de quo pluribus non est agendum. Nam de Fide, de consuetudine Catholicę Ecclesię disputatio est, q[illegible]de quęritur quid habeat blasphemi, quid sacrilegi, quid denique iniqui in eâ curâ quâ iusta iustis, iustéque soluuntur.

Ecclesiæ Catholicæ syncera fides. VII. Duo procurat optima Mater, viuis compunctionem animi, hac recordatione nouissimorum, defunctis requiem ęternam lachrymis, precibus, eleemozynis suis. Quid? Lachrymásne reprehendis? At has amico ne Christus quidem in funere recusat. An luctum? Atqui *melius*
Ecclesi. 7. *est ire ad domum luctus quàm ad domum*

conuiuij. Est tristitia ad salutem. An preces? Audi Ambrosium, *Si graue peccatum est, quod pœnitentiæ lachrymis lauare non possis, fleat pro te Mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro vnicis filijs vidua mater interuenit.* An eleemozynas? Atqui iuberis, vt iam monui, *super sepulturam iusti panem & vinum tuum constituere.* Postremò an sepeliendi rationem & ritûs & cerimonias? Horum omnium exempla sunt in Scripturâ. Habes in funere Patriarchę Iacobi funebrem pompam, supplicationem & luctum ingentem ad quadraginta dies vsque productum. Habes sepulchrum Rachelis & Sarę, & ossa Iosephi translata, & nęnias in morte Ionathæ & lessos Dauidicos. Mausolęa quoque, & naues tumulis insculptas. Hæc enim omnia tum ad mortis iudiciique metum, tum ad spem resurrectionis accendunt. Nisi forte tamen ipsam supremi finis vtilissimam recordationem nouo & inaudito more vituperes, quâ nihil ad virtutem accommodatius esse posse, omnium est vox vna sapientum. Est enim ingens monitorium animæ, & quædam, vt ita dicam, in medio pręcipitis carinæ cursu *remora vitiorum*. De-

L. 5. Comment. in Luc. c. 7.

Iob. 4.

Mach. 1. c. 13.

Chrysost.

Denique super occasum, vt Christus, ascendimus omnes: occasus inquam, pro doctore est, *& ossa prophetant. Memorare*
Eccl. 7. (inquit Sapiens) *nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Hoc initium sapientiæ, à quo (siquid Augustino credimus) tanquam à vinculo ferreo timoris, transimus ad amoris torquem auream. Di-
Luc. 12. ctum est enim: *Timete eum qui potest occidere corpus & animam mittere in Gehennam. Ita dico vobis: hunc timete.*

CAPVT SEPTIMVM.

Conclusio primæ partis.

I. CVm igitur hęc cura sit omnibus numeris absoluta; cùm authoritate constet, antiquitate, Apostolicâ traditione, ac rei ipsius æquissimâ ratione, quod est Ecclesię crimen, aut quod meum? Hîc iterum in ius voco, iterum clamo, purga calumniam; proba quod dicis. Vbi sacrilegium? Vbi superstitio? vbi blasphemia? Quanam, inquam, fronte dicitis ignem illum ex blasphemiis esse conflatum, ac nouis quotidie auctum, quem ex iustitiâ, misericordiâ, pietate, Philosophiáque verè Christianâ vndique constitui vides?

II. Ac ſane miror ego vos, qui cùm magnificum illud axioma *de Nemine iudicandum*, magno ambitu per circulos vſque circumferatis etiam cum inanis aucupatione gloriolæ ; ſic à ſingulis abſtineatis, vt tamen vniuersè omnes omnibus diris nullo diſcrimine deuoueatis, *excolantes culicem , glutientes camelum* ; imitati etiam illius Tyranni furorem, qui omnibus Romanis vnum caput optabat, vno eodemque ictu ſimul amputandum. Hęccine charitas Chriſti quæ non cogitat malũ? de quâ canebatur olim, Vide vt amant inter ſe. Tunc *rota intra rotam currebat , & non impediebatur, veritas intra charitatem , charitas intra veritatem*, quia ſpiritus vitæ erat in eis, & hoc nempe veritatis ac charitatis quaſi geminum ſydus, veræ ſinceræ qui Religioni preferebatur, vt ſemper. O temporum vices ! Ecce deeſt vtrumque vobis, & veritas in reprehendendo, quia falſa ſunt quæ obiicitis, & charitas in deferendo, quia Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, dilaniatis. *Viam veritatis elegi. Hoc non poteſt dicere, qui errat in vano dogmate : quia nec fas eſt vlli de ſuâ Religione mentiri*, vt optimè Tertul. viam mandatorum tuorum

Iniuſta calumniandi ratio.

Ambroſ.

Ambroſ. in illa : Viam veritatis elegi.

Ambros. in Ps. 118. octo. 4 cucurri. *Hoc dicunt quibus frana pacis, habena sunt charitatis, constricti inter se concordia vinculis, & iugo Fidei subiecti. Sed hoc* Ambros. de Iob. c. 19. *dicere non potest, qui non credit ad iustitiam, nec initiũ nec finẽ habet, sed ipse sui finis est.*

Conquestio III. Vtrâque igitur impediti rotâ, vtroque claudicatis pede, & si quandoque curritis, extra viam curritis. Extra viam (inquam) mandatorum & veritatis. Quę quidem veritas interdum, fateor, latet, vt Sol in nube, sed emergit, ipsáque Exod. 14. suâ se luce signat electis Dei. *Erat* (inquit) *nubes tenebrosa & illuminans*: tenebrosa scilicet Ægyptijs, illuminans, & clara fidelibus. Sunt enim aquilæ, sunt & noctuæ, filii lucis & tenebrarum, cæli & sæculi. Sicut illæ volant ad Solem; sic hæ tenebras amant, odere lucem. Ergo Sapientia clamitat in platæis. Ad vos, ô filii, vox est mea; ad te inprimis, ô dilecte, supplex & cum lachrymis oro; vide etiam atque etiam ne sis de numero eo- Ioan. 1. rum, de quibus dictum est, *& tenebra eam* Ps. 57. *non comprehenderunt*. Et iterum; *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Neque enim ignoras, vnde prima mali labes profecta sit: nimirum à malis amoribus itum est ad malos mores, ab his ad malas

mentes. *Errauerunt* (inquit) *ab vtero*, hoc est hæresis antè fuit in ventre quàm in mente: sed tu, si sapis, exclude monstrum ab vtroque. Ps. 57.

PARS SECVNDA.

Curam pro mortuis esse perutilem ac meriti plenam.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd summa sit pietas in summè miseros.

I. VEnio ad secundam huiusce Disputationis partem, quâ contenditis hanc pro mortuis curam nouis quotidie blasphemiis augeri; ego verò non solùm ab omni crimine vindicatam, sed etiam esse perutilem ac meriti plenam. *Ignis purgatorii quanta pœna!*

Quâ in re statuendum inprimis illud est, quod passim à Patribus, constantérque asseritur, illum nempe ignem omnibus pœnis esse grauiorem, quas hîc pati possumus. *Quamuis* (inquit Aug.) *salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid pati potest homo in hac vitâ.* Et Gregorius, *Illum* (inquit) *transitorium* In Ps. 37. In Ps. 5.

In eundem Ps. *ignem omni tribulatione præsenti existimo* De obitu Huberti. *intolerabiliorem*. Idem habent Beda, Bernardus, Anselmus, & cæteri. Certè In 1. Cor. 3. quamuis aliud nihil esset quàm dilatio gloriæ, seu vt loquitur Tertull. *mora resurrectionis modico quoque delicto suspensæ*, summum id malorum esse necesse est. Nam cùm tanta sit priuatio boni, quantum ipsum est bonum, quis non videt nec quicquam Dei præsentiâ melius esse, nec quicquam absentiâ peius? Aug. *Deus ipsum bonum est, & bonum omnis boni.*

Officii pietas. II. Quo posito, manifestum est nihil hac cogitatione sanctius aut salubrius, nihil charitati quàm inter se eiusdem corporis membra seruare debent, congruentius esse posse. *Neque enim* (vt ait August.) L. 10. de Ciuit. c. 9. *piorum animæ defunctorum, ab Ecclesiâ separantur, quæ est regnum Christi.* Hinc illi Patrum ad hæc pietatis officia crebri vehementésque hortatus. *Iuuetur* (inquit Chrysostomus) Homil. 41. in 1. Cor. *mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemozynis.* Et Ambrosius de obitu sororis, Lib. 2. epist. 8. *Non tam deplorandam quàm prosequendam orationibus reor, nec mæstificandam lachrymis tuis, sed orationibus animam eius Deo commendandam.* Hinc illud Tobiæ, *Pa-*

nem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue. Tob. 4.

III. Enimuerò ſi lege cautum eſt, vt inimici bouem ſiue aſinum, cùm in foueam inciderit, inde extrahamus, quanto magis animam parentis è lacu in quo non eſt aqua? Certè quò maius eſt periculum, quò grauior eſt, inquam, neceſſitas, eò promptior eſſe debet ad opem ferendam ardor ipſe charitatis. *Ordinauit enim in me charitatem*; ergo ſi ſtipem putas pauperi porrigendam, eóque magis, quò eſt egentior, ſi manum offers periclitanti in aquis, quid? Animæ in hoc ſummo rerum diſcrimine opem quam facilè præſtare poſſis, durus & miſericors negas? *Nonne anima plus eſt quàm eſca?* & anima Parentis, & Parentis in inferno deſtituti, clamantiſque? Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. *Vrgentur.* Cant. 2. Math. 6.

IV. At fortaſſe nondum acquieſcis, eâ ratione permotus, quòd omnis anima migrans è ſæculo neceſſariò ſit amica Dei, vel inimica: ſi primùm, euolabit (inquis) ad beatas illa ſedes, atque à vinculis abſoluta, cælo victrix inferetur; ſin autem prematur adhuc graui ponde- *Difficultas.*

re peccatorum, ruet illa ſtatim, atque in profundum præcipitis adinſtar molæ deiecta ſubſidet. Nihil ergo medium, ſed hoc ſi putas, ab authoritate Patrum atque Scripturæ quam oppoſui, ad tuæ ratiocinationis noua ſubſidia Philoſophus, & non jam Chriſtianus appellas, fide vt (Guilielmus Pariſienſis vocat)
C. 1. de fide. *cautionariâ ſeu pignorariâ*; Deo enim non credis, ſed pignori, ſine (vt loquitur) *ſuppodiaculo tuæ ratiocinationis*. Equidem, tametſi rem ex dictis omnino confectam putem; tamen quoniam ipſe vis, ad hanc etiam diſſerendi partem vltro deſcendam, atque ad authoritatis tantæ pondus, vim Eccleſiaſticæ rationis adiungam, quò tibi perſuaſio tantò facilior euadat, quantò eius vberior probatio futura eſt. Quamuis enim fides non credit quia capit, tamen capit quia credit; *Niſi credideritis* (inquit) *non intelligetis*.

CAPVT NONVM.

Occurritur difficultati, corroboratúrque fides ratione Theologicâ.

I. ERgo ſtatuere primùm oportet ex cupiditatis terrenæ viſco craſ- ſeſſere quodammodo animas, atque, vt ita dicam, oblimari corporeæ intra ſepta molis. Euenire inde, vt quia nihil ad Dei conſpectum admittatur, niſi omni ex parte deterſum atque limatum, neceſſe ſit ipſo in abitu ſpiritum euolantem hærere, quippe marcidum adhuc ac diffluentem tabo ſaniéque vitiorum. Nam ſi Babylonios olim pueros oportuit eſſe ſine næuo, vt obtutui Regis occurrerent: quanto magis Solymæos? cùm ſcriptum ſit quia *aliquid coinquinatum non intrabit in eam.* Iam verò quoniam æquiſſimus eſt iudex, qui nihil impunitum dimittat (nam *aut punis, aut punit, hîc vel illic,* inquit Auguſtinus) aliunde autem cùm plerique ſint, qui quamuis obtinuerint veniam à clementiſſimo Patre, non tamen eius iuſtiſſimo furori ſatisfecerint vnquam ob admiſſa multa grandiáque peccata, quid his quæſo fiet, aut quo-

Neceſſitas purgatorii.

Apoc. 21.

nam ferentur ab hoc orbe? In infernum? at exoratum est. In Paradisum? at nondum satisfactum. Absentiam Patris ferat oportet Absalom nondum ex toto Regis in gratiam receptus. Hærebit igitur in Hebron aliquanto tempore, à Dei Beatorúmque consortio interim abstractus, dum illic agat pœnitentiam, quam hîc omisit, atque *Angelus executionis* (verba sunt Tertulliani) *modico quoque delicto moras resurrectionis expendat. Saluabitur* (inquit Paulus) *quasi per ignem. Quia abluet Dominus sordem filiorum & filiarum Sion. Quousque? donec animus* (respondet ex oraculo Origenes) *ad subtilitatem araneæ quodammodo excolatus igneo ardore tabescat:* Hinc Ezechielis purgatorius ille lebes, hinc illa Hieremię, vt jam aduerti, lustralis olla, vrens ac decoquens peccata. Hinc illa demum *lampas transiens inter diuisiones.* Nam Abrahami victimę tres omnino sunt, duæ diuisæ hinc & illinc, oues & hædi, à dextris & à sinistris; mediæ turtures non diuisæ, quas ardente clibano lampas interuolans absumit.

L. de Coron. mil.

2. Cor. 3.

Isa. 4.

In Ps. 38. Hom. 2.

Genes. 15.

Philosophia consensus cum fide.

II. Quod quidem ita naturæ lumini consentaneum esse videtur, vt ne id quidem

dem Philosophis fuerit ignotum. Quanquam enim erant à principiis Christianæ fidei quàm longissimè remoti; videbant tamen, ab extremis ad extrema repentè, & vno quasi impetu non perueniri: sed paulatim exarescere animi crassitiem, atque à terrenâ concretione, quam per inolitas longo tempore pestes contraxerat, in liquidissimum æthera per aëris interiecti temperiem aliquando abire ac resolui. Sic poscere naturam, sic Dei Legem, sic iustitiam omnibus ex æquo bona pœnásque tribuentem. Hinc illud Romani ex Platone Vatis. *Philosophiæ consensus cum Fide.*

Quin & supremo cum lumine vita reliquit; Æneid. 6
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitúsque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad vētos, alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut comburitur igni.

Denique super occasum, vt Christus, ascendimus omnes: occasus inquam, pro doctore est, *& ossa prophetant. Memorare*
Eccl. 7. (inquit Sapiens) *nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Hoc initium sapientiæ, à quo (siquid Augustino credimus) tanquam à vinculo ferreo timoris, transimus ad amoris torquem auream. Di-
Luc. 12. ctum est enim: *Timete eum qui potest occidere corpus & animam mittere in Gehennam. Ita dico vobis: hunc timete.*

CAPVT SEPTIMVM.

Conclusio primæ partis.

I. CVm igitur hęc cura sit omnibus numeris absoluta; cùm authoritate constet, antiquitate, Apostolicâ traditione, ac rei ipsius æquissimâ ratione, quod est Ecclesię crimen, aut quod meum? Hîc iterum in ius voco, iterum clamo, purga calumniam; proba quod dicis. Vbi sacrilegium? Vbi superstitio? vbi blasphemia? Quanam, inquam, fronte dicitis ignem illum ex blasphemiis esse conflatum, ac nouis quotidie auctum, quem ex iustitiâ, misericordiâ, pietate, Philosophiáque verè Christianâ vndique constitui vides?

II. Ac ſane miror ego vos, qui cùm magnificum illud axioma *de Nemine iudicandum*, magno ambitu per circulos vſque circumferatis etiam cum inanis aucupatione gloriolæ ; ſic à ſingulis abſtineatis, vt tamen vniuersè omnes omnibus diris nullo diſcrimine deuoueatis, *excolantes culicem , glutientes camelum* ; imitati etiam illius Tyranni furorem, qui omnibus Romanis vnum caput optabat, vno eodemque ictu ſimul amputandum. Hęccine charitas Chriſti quæ non cogitat malũ? de quâ canebatur olim, Vide vt amant inter ſe. Tunc *rota intra rotam currebat , & non impediebatur, veritas intra charitatem , charitas intra veritatem*, quia ſpiritus vitæ erat in eis, & hoc nempe veritatis ac charitatis quaſi geminum ſydus, veræ ſinceræ qui Religioni preferebatur, vt ſemper. O temporum vices ! Ecce deeſt vtrumque vobis, & veritas in reprehendendo, quia falſa ſunt quæ obiicitis, & charitas in deferendo, quia Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, dilaniatis. *Viam veritatis elegi. Hoc non poteſt dicere, qui errat in vano dogmate : quia nec fas eſt vlli de ſuâ Religione mentiri*, vt optimè Tertul. viam mandatorum tuorum

Iniuſta calumniandi ratio.

Ambroſ.

Ambroſ. in illa : Viam veritatis elegi.

Ambrof. in Pf. 118. octo. 4. cucurri. *Hoc dicunt quibus fræna pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & iugo Fidei subiecti.* Ambrof. de Iob. c. 19. *Sed hoc dicere non potest, qui non credit ad iustitiam, nec initiũ nec finẽ habet, sed ipse sui finis est.*

Conquestio III. Vtrâque igitur impediti rotâ, vtroque claudicatis pede, & si quandoque curritis, extra viam curritis. Extra viam (inquam) mandatorum & veritatis. Quę quidem veritas interdum, fateor, latet, vt Sol in nube, sed emergit, ipsáque Exod. 14. suâ se luce signat electis Dei. *Erat* (inquit) *nubes tenebrosa & illuminans* : tenebrosa scilicet Ægyptijs, illuminans, & clara fidelibus. Sunt enim aquilæ, sunt & noctuæ, filii lucis & tenebrarum, cæli & sæculi. Sicut illæ volant ad Solem; sic hæ tenebras amant, odere lucem. Ergo Sapientia clamitat in platæis. Ad vos, ô filii, vox est mea; ad te inprimis, ô dilecte, supplex & cum lachrymis oro; vide etiam atque etiam ne sis de numero eo- Ioan. 1. rum, de quibus dictum est, *& tenebræ eam* Ps. 57. *non comprehenderunt.* Et iterum; *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Neque enim ignoras, vnde prima mali labes profecta sit : nimirum à malis amoribus itum est ad malos mores, ab his ad malas

mentes. *Errauerunt* (inquit) *ab vtero*, hoc est hæresis antè fuit in ventre quàm in mente: sed tu, si sapis, exclude monstrum ab vtroque. Ps. 57.

PARS SECVNDA.

Curam pro mortuis esse perutilem ac meriti plenam.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd summa sit pietas in summè miseros.

I. VEnio ad secundam huiusce Disputationis partem, quâ contenditis hanc pro mortuis curam nouis quotidie blasphemiis augeri; ego verò non solùm ab omni crimine vindicatam, sed etiam esse perutilem ac meriti plenam. *Ignis purgatorii quanta pena!*

Quâ in re statuendum inprimis illud est, quod passim à Patribus, constantérque asseritur, illum nempe ignem omnibus pœnis esse grauiorem, quas hîc pati possumus. *Quamuis* (inquit Aug.) *salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid pati potest homo in hac vitâ.* In Ps. 37.
Et Gregorius, *Illum* (inquit) *transitorium* In Ps. 3.

In eundem Ps. De obitu Hűberti. In 1. Cor. 3.

ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem. Idem habent Beda, Bernardus, Anselmus, & cæteri. Certè quamuis aliud nihil esset quàm dilatio gloriæ, seu vt loquitur Tertull. *mora resurrectionis modico quoque delicto suspensæ*, summum id malorum esse necesse est. Nam cùm tanta sit priuatio boni, quantum ipsum est bonum, quis non videt nec quicquam Dei prę̨sentiâ melius esse, nec quicquam absentiâ peius? *Deus ipsum bonum est, & bonum omnis boni.*

Aug.

Officii pietas.

II. Quo posito, manifestum est nihil hac cogitatione sanctius aut salubrius, nihil charitati quàm inter se eiusdem corporis membra seruare debent, congruentius esse posse. *Neque enim* (vt ait August.) *piorum animæ defunctorum, ab Ecclesiâ separantur, quæ est regnum Christi.* Hinc illi Patrum ad hæc pietatis officia crebri vehementésque hortatus. *Iuuetur* (inquit Chrysostomus) *mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemozynis.* Et Ambrosius de obitu sororis, *Non tam deplorandam quàm prosequendam orationibus reor, nec mæstificandam lachrymis tuis, sed orationibus animam eius Deo commendandam*. Hinc illud Tobiæ, *Pa-*

L. 10. de Ciuit. c. 9.

Homil. 41. in 1. Cor.

Lib. 2. epist. 8.

nem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue. Tob. 4.

III. Enimuerò ſi lege cautum eſt, vt inimici bouem ſiue aſinum, cùm in foueam inciderit, inde extrahamus, quanto magis animam parentis è lacu in quo non eſt aqua? Certè quò maius eſt periculum, quò grauior eſt, inquam, neceſſitas, eò promptior eſſe debet ad opem ferendam ardor ipſe charitatis. *Ordinauit enim in me charitatem*; ergo ſi ſtipem putas pauperi porrigendam, eóque magis, quò eſt egentior, ſi manum offers periclitanti in aquis, quid? Animæ in hoc ſummo rerum diſcrimine opem quam facilè præſtare poſſis, durus & miſericors negas? *Nonne anima plus eſt quàm eſca?* & anima Parentis, & Parentis in inferno deſtituti, clamantiſque? Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. *Vrgentur.* Cant. 2. Math. 6.

IV. At fortaſſe nondum acquieſcis, eâ ratione permotus, quòd omnis anima migrans è ſæculo neceſſariò ſit amica Dei, vel inimica: ſi primùm, euolabit (inquis) ad beatas illa ſedes, atque à vinculis abſoluta, cælo victrix inferetur; ſin autem prematur adhuc graui ponde- *Difficultas.*

re peccatorum, ruet illa statim, atque in profundum præcipitis adinstar molæ deiecta subsidet. Nihil ergo medium, sed hoc si putas, ab authoritate Patrum atque Scripturæ quam opposui, ad tuæ ratiocinationis noua subsidia Philosophus, & non jam Christianus appellas, fide vt (Guilielmus Parisiensis vocat) C. 1. de fide. *cautionariâ seu pignorariâ*; Deo enim non credis, sed pignori, sine (vt loquitur) *suppodiaculo tuæ ratiocinationis*. Equidem, tametsi rem ex dictis omnino confectam putem; tamen quoniam ipse vis, ad hanc etiam differendi partem vltro descendam, atque ad authoritatis tantæ pondus, vim Ecclesiasticæ rationis adiungam, quò tibi persuasio tantò facilior euadat, quantò eius vberior probatio futura est. Quamuis enim fides non credit quia capit, tamen capit quia credit; *Nisi credideritis* (inquit) *non intelligetis*.

CAPVT NONVM.

Occurritur difficultati, corroboratúrque fides ratione Theologicâ.

I. ERgo ſtatuere primũm oportet ex cupiditatis terrenæ viſco craſſeſſere quodammodo animas, atque, vt ita dicam, oblimari corporeæ intra ſepta molis. Euenire inde, vt quia nihil ad Dei conſpectum admittatur, niſi omni ex parte deterſum atque limatum, neceſſe ſit ipſo in abitu ſpiritum euolantem hærere, quippe marcidum adhuc ac diffluentem tabo ſaniéque vitiorum. Nam ſi Babylonios olim pueros oportuit eſſe ſine næuo, vt obtutui Regis occurrerent: quanto magis Solymæos? cùm ſcriptum ſit quia *aliquid coinquinatum non intrabit in eam.* Iam verò quoniam æquiſſimus eſt iudex, qui nihil impunitum dimittat (nam *aut punis, aut punit, hìc vel illic,* inquit Auguſtinus) aliunde autem cùm plerique ſint, qui quamuis obtinuerint veniam à clementiſſimo Patre, non tamen eius iuſtiſſimo furori ſatisfecerint vnquam ob admiſſa multa grandiáque peccata, quid his quæſo fiet, aut quo-

Neceſſitas purgatorii.

Apoc. 21.

nam ferentur ab hoc orbe? In infernum? at exoratum est. In Paradisum? at nondum satisfactum. Absentiam Patris ferat oportet Absalom nondum ex toto Regis in gratiam receptus. Hærebit igitur in Hebron aliquanto tempore, à Dei Beatorúmque consortio interim abstractus, dum illic agat pœnitentiam, quam hîc omisit, atque *Angelus executionis* (verba

L. de Coron. mil. sunt Tertulliani) *modico quoque delicto moras resurrectionis expendat. Saluabitur*

1. Cor. 3. (inquit Paulus) *quasi per ignem. Quia*

Isa. 4. *abluet Dominus sordem filiorum & filiarum Sion. Quousque? donec animus* (respondet

In Ps. 38. Hom. 1. ex oraculo Origenes) *ad subtilitatem araneæ quodammodo excolatus igneo ardore tabescat:* Hinc Ezechielis purgatorius ille lebes, hinc illa Hieremię, vt jam aduerti, lustralis olla, vrens ac decoquens

Genes. 15. peccata. Hinc illa demum *lampas transiens inter diuisiones.* Nam Abrahami victimę tres omnino sunt, duæ diuisæ hinc & illinc, oues & hædi, à dextris & à sinistris; mediæ turtures non diuisæ, quas ardente clibano lampas interuolans absumit.

Philosophia consensus cum fide.

II. Quod quidem ita naturæ lumini consentaneum esse videtur, vt ne id quidem

dem Philosophis fuerit ignotum. Quanquam enim erant à principiis Christianæ fidei quàm longissimè remoti; videbant tamen, ab extremis ad extrema repentè, & vno quasi impetu non perueniri: sed paulatim exarescere animi crassitiem, atque à terrenâ concretione, quam per inolitas longo tempore pestes contraxerat, in liquidissimum æthera per aëris interiecti temperiem aliquando abire ac resolui. Sic poscere naturam, sic Dei Legem, sic iustitiam omnibus ex æquo bona pœnásque tribuentem. Hinc illud Romani ex Platone Vatis. *Philosophiæ consensus cum Fide.*

Quin & supremo cum lumine vita reliquit; Æneid. 6
Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitúsque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad vētos, alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut comburitur igni.

Dial. 29. Plato autem sic habet: *Quidam insanabiles ob scelerum magnitudinem demerguntur in tartarum, vnde exitus eis non est vllus, alios, quibus est mens haud omnino perdita, abripit quidem eum in locum sors lethi communis; ipsi tamen inde post annum à reciproco fluctu super Cocyti glaream eiecti tandem emergunt.* Sic ille.

Conclusio. III. Quæ præclarissima Philosophiæ naturalis effata, cùm Apostolicis doctrinis apprimè consentiant, quis furor est huic tam apertæ veritati quasi ex condicto per insanissimæ mentis obstinationem indomitam cæcâ quadam errandi prurigine velle obluctari? Euangelio Lex, Fidei ratio, Gratiæ natura concordat, & repugnas? *Itaque & ridemur* (inquit Tertull.) *Deum prædicantes iudicaturum; sic enim & Poëta & Philosophi tribunal apud inferos ponunt.* Id est propterea ridemur, quia videmur idem dicere, quod Poëtæ & Philosophi. Atqui si Philosophia non placet, Theologiam audi. Rursus, si hæc odiosa est, saltem vtramque, vel vtramuis propter Fidem admitte. Denique alteram alteri condona, ne sis omnium in tuâ causâ mortalium iniquissimus iudex.

Apologet. 47.

CAPVT DECIMVM.

Refutatur error eorum qui venialia negant.

I. NAm quòd è veſtris doctoribus à Platone ad Cleanthem deſciuere nonnulli, rati nullum eſſe peccatum, quod non ſit ad mortem, veniale nullum, omnia paria; id enimuerò mihi ſemper ita viſum eſt à morum rectæque diſciplinæ præſcriptis, ab hominum communi ſenſu, denique à Chriſtianæ fidei principiis abhorrere; vt ne cenſurâ quidem dignum eſſe videatur. Quid enim? erit ergo par in mendacio flagitium ac in parricidio? crimen idem pietatis officio ſi quâ deſis, & matri violentas ſi manûs afferas, aut inceſtum cum illâ perpetres? Idem ſi in hominem pecces, ac ſi pecces in Spiritum Sanctum, *delicti reus*, vt Marcus vocat, *æterni*, vel vt Matthæus, *inexpiabilis*? Quaſi ſeruus dominicæ conſcius voluntatis, non ſit ideò plagis multis vapulaturus, quòd delicto grauiore ſeſe obſtrinxerit? Alioqui ſi paria ſunt omnia, quare Petrus exprobraret Ananiæ Deo, non hominibus eſſe mentitum? *Inconuenientia.*

Quare Paulus à stipulâ fœnum, à fœno ligna seiungeret ædificio superstructa? Quæquidem etsi salutem differant, non
Math. 5. impediunt tamen: ait enim, *saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quare Christus alia Concilio, alia Iudicio, alia gehennæ seruaret, dispungens in vnoquoque suos iniquitatis ac malitiæ gradus? Sicut enim in domo Patris & mansiones multæ, & stella differt à stellâ; sic & æqualia debita non sunt, alteri quinquaginta denarii remittuntur, alteri quingenti, aut etiam decies mille talenta. Porrò cui venit vnquam in mentem, vt crederet verbum otiosum dignum esse flammis odióque Dei sempiterno? aut cùm septies dicitur in die cadere Iustus, toties putaret accipere lethale vulnus intra præcordia? An
Ioan. 13. non dictum est Petro, *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.*

Causa erroris. II. Apage hæc mentis insanæ deliria; facessant à Christianis mentibus ista non tam errantis Philosophiæ dogmata, quàm errorum immania portenta. Næ, si non aliud sit hæreticæ peruicacitatis argumentum, hoc vno satis supérque conuincor. Quò enim, quæso te, abiere, vt veritas abnegaretur? Nimirum error

errore defenditur, monstrum monstro. Hæc est enim obstinata peruersi genij nequitia, malit vt insanire contradicendo, quàm acquiescere veritati. Nam, vt optimè Plinius, *quidam homines aliorum destructioni, ceu venena nascuntur.*

III. Iam verò, si concesseris esse peccata, quæ animum inficiant quidem, non occidant tamen: ea certè necesse erit antè purgari, siquidem nemo claudus in templum intromittitur, nemo lusciosus. Id autem vbi tandem? Ante mortem? an in morte? Quid si repentinus ei superueniat interitus, improuidúmque ac imparatum è medio tollat? Quid si terrenæ cupiditatis amore flagrantem? Quid si cupiditas ipsa causa sit telúmque mortis? vt accidit militibus Iudæ, quos in flagranti delicto deprehensos mors, imò peccatum abstulit. Inuenti sunt enim *de donarijs idolorum accepisse contra legem*, ac propterea corruisse; cuius tamen eos ipso in articulo mortis pœnituisse docet Scriptura, dicens *cum pietate dormitionem accepisse, & optimam habuisse repositam gratiam*: nec tamen pro hoc peccato satisfecisse, nam & lethalium pœna non semper, neque tota cum culpâ remitti-

Purgari venialia in purgatorio.

2. Mach.

Aug. tract. 124. in Ioa. In Psl. 50. tur: *Productior enim est pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Vnde temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem reum non detinet culpa.* Ita S. Augustinus.

Probatur exemplo. IV. Pone igitur hominem cui non vt latroni data sit indulgentia plenaria in 2. Reg. 12. morte, sed cui dictũ sit vt Dauidi; *Transtulit à te peccatum, non morieris; veruntamen ecce ego suscitabo super te malum de do-* Exod. 32. *mo tuâ*; vel vt Israëli, *postquam placatus est à Moyse Dominus ne faceret malum: ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Sit vt Machabæi miles, in ipso delicto, ac per ipsum etiam delictum morte præreptus; debitor decem millium talentorum, non tamen *reus ad damnatiocem.* Quid? An quod morte contraxit, id morte purgabit? & morte quæ omnium æqualis est pœna? Testamentum enim est mundi, *morte morieris*, stipendium peccati, supplicium Adami. Quid ergo? pœnâne culpam eluet, pari disparem, originali personalem, communi singularem, antiquâ & hæreditariâ nouam, superadditam, & super numerum capillorum excrescentem? nam si

ſepties in die cadit Iuſtus, quid impius? quid immemor Dei & ſui, toto decurſu vitæ præterquam in articulo mortis? Quid dicis? Quò illum amandas ſolutum à culpâ, detentum à pœnâ?

V. Memini te ad hæc omnia reſpondiſſe migraturum in illud atrium ſeu veſtibulum, vbi animas exules proſcriptáſque cum Caluino volebas. Sed contra eſt. Nam in illo veſtibulo vel purgantur, vel non purgantur: vtrum? ſi purgantur, ſi puniuntur, ſi denique à conſpectu Dei, propter antiqua delicta prohibentur, ergo purgatorium eſt, ſiquidem nihil aliud intelligit aut docet Eccleſię Fides, quàm hoc à conſpectu Patris exilium temporale; quamquam vt juſtum ſit, adæquari culpę debet, ſic vt ſecundum magnitudinem huius, creſcat & illud. Si non purgantur, ergo exilium eſt ſine causâ; ſi enim ſatisfactio nulla requiritur, ſi impedimentum nullum eſt, cur differtur merces? cur clauditur cœlum habili, reduci, victori? quicquid dixeris, non eſt quà euadas. *Effugium.*

Redeamus nunc ad caput cauſę, & videamus vtri prudentiùs agant, vtri fideliùs aut pro ſemetipſis, aut erga proximum.

CAPVT VNDECIMVM.

Quòd Ecclesiæ Catholicæ summa sit in hac curá prudentiæ, summa pietas.

Vtilitas memoriæ mortis quanta.

I. OMnium sapientum, vti dicere cæperam, ea constans ac perpetua fuit opinio, nihil ad morum rectam disciplinam accommodatius esse posse supremi meditatione finis. Hinc illud Lyrici Poëtę celeberrimum apud omnes axioma. *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Hinc illa Philippi Macedonis laudatissima consuetudo, quâ se admoneri volebat in horas; de tumulo sibi construendo. Quin & Damascenus refert antiquos Eremi Patres nō aliter apparuisse, quàm ossibus mortuorum velut aureis quibusdam armillis ornatos ac quasi gloriantes. Inuenti sunt etiam quamplurimi, qui diu noctúque vitam transigerent in Sepulchris: quasi *effodientes thesaurum, gaudéntque vehementer cùm inuenerint Sepulchrum.* Cuius quidem rei causa est in promptu; quòd vt optimè Hieronymus, *Facile contemnit præsentia, qui se cogitat moriturum.* Nam vt nihil magnum est, quod finem habet, ita

In vitâ Iosaphati & Barlaami.

Iob. 3.

nihil non magnum eſt, quod æternum cogitatur. Vnde Seneca dixit, *hæc temporalia Sapienti nunquam placere. Quis arguet* (inquit Propheta) *coram eo viam eius? ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum euigilabit.* Mortis enim memoria, ſi Chryſoſtomum audimus, ſal quidam eſt animæ, quo mores ab omni vitiorum corruptione quodammodo vindicantur. Quare loquens de puero qui concionante Paulo cecidit è tabulato, ipſe caſus (ait) pro doctore fuit, & de oſſibus Patriarchæ Ioſephi dictum eſt, *Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt,* hoc eſt vim Prophetæ concionantis habuerunt. Petrus quoque Damianus ſcribens ad Blancam Comitiſſam *Conſadebuntur aduersum te & proſapia generis, & flos ætatis, & venuſtas formæ, & memoria facultatis abiectæ. Ad euitanda ſanè iſtorum tela certaminum, nullus mihi videtur melior clypeus quàm meditatio mortis.*

Iob. 21.

In illum locum.

Eccli. 49.

Epiſt. 143.

Accedit ad hanc animi fidelis prudentiam, quòd nihil ſit æquius quàm eam defunctis requiem procurare, cuius ſpei incumbimus omnes. Propterea enim ſuprema funeris vocantur à nobis *Iuſta,*

quòd id postulet æquitas: vnde nemo animum immortalem credidit, qui non eidem hanc à morte quietem omni ratione procurandam suo instituto ac more putarit.

Quæ rituum causa, II. Ergo vtrisque prouidens Ecclesia tum defunctis, vt requiescant à laboribus suis, tum viuis, vt hac salutari recordatione mortis, in officio contineant sese: miris ad spem immortalitatis omnes accendit modis. Primùm enim atrati dies ordine recurrunt suo quasi in gyrum, anniuersarij, menstrui, hebdomadarij. Quo quidem tempore coloribus mœstificata disparatis, ardens tædis vndique funalibus, campanarum etiam longo lugubríque tractu quodammodo gemens, insigne quoddam est totius mœstitudinis theatrum, quo *eos qui sciunt* Amos 5. *plangere, cum Prophetâ, vocat ad planctum*; Indicitur supplicatio, non ad inanem oculorum pompam, sed ad cordis verissimam compunctionem instituta; ibi pullâ in veste pupilli tanquam diuinę misericordiæ obsides anteire; ibi vice præficarum egentes viduæ testamentariis eleemozynis onustæ subsequi. Ingens animorum fit conuersio. Videas

vndique lachrymas atque ſuſpiria, non tam ex luctu præteriti quàm ex ſpe futuri, ſubinde per ora pérque cuneos erumpere.

III. Aſt vbi templo ſucceditur, tum enimuerò longè maior eſt compungendarum mentium induſtria. Nam quia non ignorat homines maximè ſenſu duci, ſuam illam funebrem, vt ita dicam ſcenam ſic adornat; vt quâ oculis, quâ auribus ſeruiens, totam ſæcularis vitę licentiam immenſo quodam rerum ęternarum metu quodammodo funeſtet. Ibi antiquo ſolemníque de more vel ad expoſitum in medio cadauer, vel ad cenothaphium cippúmve ritè procuratę tricenum aut quadragenarium etiam ad diem exequię; Sacrificio, precibus, eleemozynis. Ibi Eccleſiaſtico modulata leſſo modò Dauidis cantica, modò patientis animæ lamenta Iobęo repræſentata luctu. Ibi de ſupremo Dei Iudicio, déque morte grauis ab Eccleſiaſtico viro perorata concio de ſuggeſtu. Quibus omnibus Euangelica Lazari reſurrectio pręmittitur, quę animos ad ſpem ęternę vitę mirum in modum inflammat. Poſtremò ex hac circumfuſâ vndique mortis ima- *Pompa funebris.*

gine, statim exoritur incredibilis quidam humanarum rerum inter officia contemptus, ex contemptu porrò fuga quoque, & quod sequitur, ex fugâ odióque mundi pereuntis, amor immortalis vitæ.

Euangelica perfectio.

IV. Hinc illa quæ vsque adeo vestri mirantur, opum apud nos ac deliciarum tam crebra támque voluntaria naufragia. Alij barbaras inter, efferatásque nationes *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt; alij circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, egentes, afflicti, quibus dignus non erat mundus: alij in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis & in cauernis terræ; & hi omnes testimonio Fidei probati.* Et quæ horum omnium causa est? *Confitentes* (inquit) *quia peregrini & hospites sunt super terram.* Quia, vt ait Chrysostomus, *prima atque adeo vnica virtus est, scire se peregrinum.* Et vnde id sciunt? nisi ex illo perpetuo mortis vt in scenâ quadam exhibitæ, luctifico atque ad compunctionem vtilissimo spectaculo.

Hebr. 11.

Concluditur.

V. Nihil igitur hac curâ melius; siue Deum spectes, siue proximum, siue te-

ipſum; nam erga Deum miro quodam modo creſcit in dies pietas, ac judiciorum eius *ſaluberrimus timor* vt loquitur Auguſtinus. Erga proximum autem exercetur ea charitas, quâ nulla poſſit eſſe maior; ſiquidem ei ſimul & immenſa pœna detrahitur, & immenſa gloria comparatur. Erga teipſum denique; ſic enim alitur in te ſpes & metus æternitatis. Itaque definitio veri Chriſtiani tradita à Bernardo mirificè per hanc curam vnicuiq; noſtrum aptari poteſt, vt ſit Deo charus, proximo vtilis, ſibi cautus. Quod totius Euangelicæ Legis quoddam quaſi compendium eſt. Ita nos quidem.

CAPVT DVODECIMVM.

Quòd Eccleſiæ dictæ reformantis ſtatus ex incuriâ pro mortuis ſit diſsimillimus.

I. AGe, nunc animum ad tuos refer. Eheu quanta rerum, quanta vitæ curarúmque diſſimilitudo! & vnde obſecro? niſi quia ſit apud vos æterna quædam extremi iudicii mortíſque obliuio, quaſi fluuium lethes, quantus quantus eſt, ebibiſſetis. Nam vt optimè notauit Origenes, hoc idem Diabolus *Obliuio rerum cæleſtium vnde?*

molitur apud Christianos, quod olim Pharao apud Hebræos, vt operibus luti, id est negotiis vitæ præsentis intenti de futurâ minimè sint solliciti. *Vult enim vt nemo Patriam Paradisum recordetur.* Hinc etiam quicquid ad eam spem reuocare potest, ab oculis, & multo magis ab animis procul amandat; non ossa mortuorum, non sepulchra, non monumenta passus inter vos vlla, imò ne memoriam quidem. Quid dicam de funeribus vestris? Sepultura vobis est, dicerem Asini, dicerem bruta, nisi parcerem pudori tuo; certè minimè Ecclesiastica, sed vt aiunt, sine luce, sine cruce.

Inconuenientia. II. Ex quo duo pariter emergunt ingentia damna. Vnum est, quòd omissâ futurorum curâ conquisitores huius sæculi perpetui sitis: irrepit enim sensim sine sensu rerum cœlestium mirus in animos resides tepor, ac perennis, vt ita dicam, oscitantia vitæ. Alterum est, quòd de requie defunctorum nullam planè prouidentiam habeatis. Quę quidem inhumanitas tribus potissimùm è capitibus enormis & intoleranda mihi videtur. Primùm ex arctâ necessitudine quam habent illi vobiscum. Sunt enim parentes,

ſunt domeſtici fidei *quorum qui curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Deinde ex ſummâ eorum neceſſitate; non enim opem ipſi ſibi ferre poſſunt, à ſtadio curriculóque vitæ iam deiecti. Poſtremò ex magnitudine pœnæ, quæ vt iam præfatus ſum, *grauior eſt quàm quicquid pati poteſt homo* in hac vitâ. *Quaſi torris de incendio rapiatur* (inquit Hieronymus exponens illud, *Facti eſtis ſicut torris raptus de incendio.*) 1. Timoth. 5.

III. Neque dicas hanc animo tibi minimè iniectam eſſe mentem. Enimuerò & hæc eſt duplex iniuria, quòd & opem non feras, & inſuper eorum lamenta quaſi fictitia derideas. Quo pacto vide an excuſari poſſit perduellis ſeu filius, ſeu ſubditus, qui obedientiam Patri vel Regi propterea neget, quòd etſi nulla ſit ratio non credendi, tamen nolit credere hunc Regem, illum Patrem. Vt ſi tibi Lazarus ad ianuam iaceret vlceribus plenus, non modò non ſuccurreres, ſed eo etiam nomine non ſuccurreres, quòd eius fictum eſſe dolorem, fictámque miſeriam ab omnibus velles credi. Nam hoc iam dudum quæro, vnde tibi vacillet hæc de luſtrali flammâ fides, quæ, vt vi- *Effugium*

disti, nititur Scripturæ testimoniis, Apostolicâ traditione, totius Ecclesiæ sensu, omniúmque Patrum consensu, imò omnium nationum etiam constanti perpetuóque ritu. Quocirca mihi videris eâdem impietate ferri, quâ Zenonis Imperatoris vxor, de quâ ferunt Annales quòd è tumulo vociferantem cùm inaudiisset maritum, irrisit improba mulier, eo quòd mortuum diceret esse sine sensu.

Confirmatur exemplo.

IV. Finge (nam exemplo meliùs id exponitur, quàm argumento) finge apud barbaros charissimum tibi parentem in vinculis esse, mox vrendum igni, nuntiaríque à viris omni acceptione maioribus, de eius ærumnisissimo statu, à quibus ad matrem fide publicâ litteræ redditæ sint, annulo Mariti sigillóque munitæ; te verò qui præsto esse debebas, non modò non audire, sed etiam vt est in Euangelicâ parabolâ, contumeliis alios afficere, alios cædere, alios occidere: matrem insuper, quia fidem adhibuisset, in adulterii crimen vocare, eíque bellum nefarium ac impium eam ob causam indicere; quis te homo porrò truculentior immaniórque foret?

Rem, vt puto capis, si sapis. Nam qui sunt

ſunt hi nuntii niſi Prophetæ. Qui de hoc lacu clarè dilucidéque locuti ſunt, & multò dilucidiùs ipſe Filius Dei, tum Apoſtoli, tum Patres antiquiſſimi ac primores, qui & diptycha attulerunt nouum ac vetus Teſtamentum, diplomata (inquam) regia regiiſque ſigillis conſignata, id eſt miraculis, quæ ad conſtabiliendam huius articuli fidem complura ſunt edita, vt ex Annalibus probè noſti. Poſtremò ij quos Eccleſia vt à Sponſo ad ſe miſſos, ingenti ſtudio tantæ veritatis auida ſuſcepit; tu contra neſcio quæ leuiuſcula cauſatus de cereis, de oblationibus, de anniuerſariis battologiâque, vt vocas, importunâ precum; audax & præceps animi neque opem affers, neque fidem. Bellum etiam paras, cauſam inde rixarum diſcordiæque indigniſſimam mouens, præterea eandem vt adulteram atrociſſimè diſcrucias, ac in ipſos etiam Apoſtolos, vt oſtendi, partem ſceleris effrons vecórſque deriuas. Quæ cùm ita ſint, quem enimuerò tandem exitum inauſpicatiſſimus hic furor incogitanti feret? Habes ex oraculo. *Malos* (inquit) *malè perdet*, niſi iam & perdidit, quos ad hæc omnia, ſicut olim Iudæos, imperterritos cerno. Math. 21

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Quòd hæc agendi ratio sit iniustissima.

Fastus Hæreticorum.

I. NAm Scripturam (sine me vera loqui) Scripturam (inquam) si affero, negant esse diuinam. Patres si adduco, fidem clamant esse humanam, omnes ex æquo à recto veritatis calle iampridem aberrasse. Sic enim Caluinus l. 3. Institut. c. 5. Authoritate si pugnem, non admittitur, si ratione, non probatur. Vtrique Testamento vel sensus adimitur suus, vel affingitur alienus, pari vtrobique audaciâ, scelere licèt impari. Denique exempla si persequor, ridentur; si consuetudines, exploduntur; si consentientem cum Fide Philosophiam, cum gratiâ naturã, omnia superbissimo quodam hæreticæ frontis supercilio reprobantur. Quò me igitur vertam? aut quid te porrò fiet, si stat æquâ nihil aure percipere?

Expenditur dictum Caluini.

II. Omnes, ais, in errorem abrepti sunt. Quinam illi tandem? Sanctissimi Patres, antiquissimi, doctissimi, integerrimi. Quot? Ad vnum omnes. Quamdiu? Ex quo stetit Ecclesia, & ex quo ante

Ecclesiam Synagoga: vtraque præceps & cæca, prout existimas, iam pridem à fundamentis ruit. Quem porrò in errorem? Plenum sacrilegij, & ex blasphemiis conflatum siue consutum, vtroque enim modo rem expressit. Quomodo abrepti? *Furore, superstitione, cæcâ quadam errandi libidine, ne non placerent.* Quis hoc pronuntiat? Caluinus? Quâ authoritate? suâ. Quâ ratione? nullâ. Vnde ergo? Quia sic homini visum est; quia clamat, *Omnes præter me sacrilegi:* quia dicit, *Ego spiritum Dei habeo. Ego errare non possum.* In eius vitâ. Sed habet fortè Scripturam? minimè. Vetus aut nouum Testamentum? neutrum. Nam de hoc altum in vtroque silentium, vt putant. Saltem miracula? Qualia Tertullianus refert, *ex viuis mortuos.* Saltem bonos mores, rectámque disciplinam? Ne hoc quidem, vt patet ex eius vitâ. Et cùm talis sit, & cùm solus sit, ab omnibus credi cupit, & creditur. O stultitiam hominum infinitam!

III. Rogo te per animam tuam, stà tantisper in hac judicij ratione. Pone hinc Caluinum, inde Patres, in medio controuersiam quâ de agitur, sed iterum iterúmque obtestor, vt animus tuus apud *Vrgetur Conclusio. 1. Collatione partiũ.*

me ab omni liber affectu stet & ad horam velut inglorium scutum albáque parma, nullius adhuc præconceptæ opinionis lineamentis exaratus. Non mihi dicas; Ego nulli, nisi verbo Dei scripto assentior, nam hoc ipsum inter nos controuertendum est suo loco,& si id tenes, non affers mentem ad inuestigandum, sed sectam ad contradicendum. Rogaui autem, vt tu sine hæresi solus & integer ad hoc iudicium venires, ferrésque sententiam vel pro te vel contra te, imò pro te, si contra te, quoquo modo tamen ferres; hoc (inquam) rogaui. Quòd si concesseris, erítne tibi deliberandi locus? Ecce ex vnâ parte innumerabiles illi, ex aliâ hic vnus: illi sanctissimi, hic flagitiis notus etiam apud suos: illi primis sæculis & innocentissimis exorti, hic nouissimo ac perditissimo emissus: illi Pontifices, quibus gregis cura commissa est, hic per vim intrusus; denique sine Apostolicâ missione. Lupum potui dicere in ouili, vel cum vestro Bucero rabidum canem. Docent illi fidem ab Hebræis Apostolísque ad hæc vsque tempora transfusam, sanctam, salubrem, ad meliora tendentem, hic è contrario no-

uam ac nuper excogitatam hæresim, à Fide, à nouissimorum memoriâ, à pietatis exercitiis abducentem: tu tamen inter hos medius & sequester amplecteris hunc, oscularis, in sinu foues, illos verò contemnis, quam ob causam? Responde, fac satis vel tibi, vel mihi. Non est reuelatio verbi, quia saltem controuertitur, non est Scripturæ textus vel sensus quia vt multum de iure meo remittam, committitur, non est viri sanctitas quæ nulla est; non est authoritas, quæ vsurpata est; non doctrinæ antiquitas, quia adhuc in dies nascitur; non ratio, non vtilitas, quia ad peiora traducit, quid ergo tandem, nisi furor?

IV. Ac nos quidem, vt probatum est, è charitatis minimè fictæ largissimo penu, miseris opem, quam sibi ferre non possunt, procuramus, ex opulentissimo, inquam, Ecclesiæ Matris thesauro, ex Martyrum atque amicorum Dei incredibili, quâ pollent apud Deum gratiâ; tu equo tuo si fortè in foueã inciderit, auxilium præstas, parenti verò qui in hunc *locum tormentorum* lapsus sit, negas manum propriam, & insuper prohibes alienam, atque ad terriculamentum animorum *2. Collatione operum.*

effers quasi vexillum horroris, tuum illud exitiale Sathanæ commentum. Tu apud barbarum pro barbaro oras de sæculi libertate, nec semel, nec segniter, & nō vis vt exorem apud communem Deum pro parēte de carceris ignei liberatione; eo scilicet modo quo Christus ipse præscripsit, importunitate sanctâ, quæ vim faciat recusanti. Tu pro corporis incolumitate laboras, & miraris, quòd ego pro animæ salute desudem; tu pro terræ filiis, ego pro ciuibus cæli; illis tu gloriam astruis temporalem, ego sempiternam; te vinculum necessitudinis humanæ trahit, me nexus Christianę charitatis astringit, denique tu pecuniâ mercaris & ære fisci, ego pretio Sanguinis Christi, interposito fauore Sanctorum.

Antithesis vtrorumque.

V. Et hæc cùm ita fiant, tu benignus, ego immisericors; tu sapiens, ego delirus; tu pietatis assecla, ego immanis flagitij reus. Quid deinde? Si virginitatem ex Christi placitis amplector, si voluntariam eiusdem paupertatem ad finem vsque profiteor, victu ac vestitu modico parcóque in commune contentus, si castigo corpus meum, atque ad exemplum Apostoli in seruitutem redigo, statis Ec-

Ecclesiæ ieiuniis, abstinentiis, disciplinis, in metu & tremore operans salutem, stultus sum ego, impius, præceps atque deformis; vos autem cælibatu, claustro, lege carentes, opibus dapibúsque semper intenti, & vtrisque bene farti, tales, inquam, cùm sitis, tamen Ecclesiæ Reformatæ titulos superbúmque nomen ambitis, animi demissione planè Christianâ. Huic autem amplitudini rerum quis fidem præstat? Dixi iam, & dicere non cessabo (hoc enim ad causam plurimùm confert) homo quem nemo in vitâ ferre potuit, neque apud vos, neque apud nos. Lege Papyrium Massonem, lege Bucerum, lege Bolzecum. Sed hæc satis, aut nihil satis. *Irrident nos* (inquit Serm. 66. in Cãtic.
Bernardus) *quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum suffragia postulamus, in omni genere hominum atque in vtroque sexu festinant proscribere Christum in adultis & paruulis, in viuis & mortuis, hinc quidem infantibus ex impossibilitate naturæ, inde verò adultis ex difficultate continentiæ proscribentes. Porrò mortuos viuentium fraudantes auxilijs, viuentes nihilominus Sanctorum, qui decesserunt à suffragijs spoliantes.*

En qualem ille vobis colaphum impegit vir etiam vestro iudicio sanctissimus, cùm tamen hoc exitiale Sathanæ commentum tantâ vi, vt tute vides, ipse commendet.

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio totius Disputationis.

Ratio contumaciæ. I. VErùm quod huic sententiæ statim adiecit, me multò magis propter te angit, cui hæc scribo. *Nam quantum ad istos* (ait) *nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec authoritatibus corriguntur, quia nec recipiunt, nec suasionibus flectuntur, quia subuersi sunt. Probatum est. Mori magis eligunt quàm conuerti.* Me miserum! Quò me igitur ipse conuertam, si conuertendi tui nulla spes affulget? Quid? vt aliquando huic iam excrescenti Disputationi finem imponam, non intelligis quantis apud te egerim argumentis? Si duobus testibus stat omne verbum, quantò magis duobus Testamentis, quorum testimonia ex sensu fidéque probatissimorum Patrum explicata sunt?

Soluuntur obiectiones. II. Nam quòd opponis Tertullianum

aientem exempto reatu eximi & pœnã; fateor æternam; tum Augustinum negantem dari medium inter cælum & inferos, fateor æternum; tum cereos prohibitos, quia non sunt inquietandi spiritus; fateor eâ superstitione quâ tum ad tumulos more Paganorum accendebantur, vt iam dixi. Sicut enim à sanguine & suffocatis abstinendum fuit, dum scandalum timebatur, sic & à cereis, dum hic error vigebat. Ac te profectò miror, qui ad authoritatem Patrum quasi postliminio recurras. Res mira! accusantur erroris, & obiiciuntur nobis; rei sunt, & producuntur vt testes. Non admitto sacrilegos, recuso blasphemos. Authoritas nulla est, aut si qua est, sit tibi in salutẽ.

III. Hoc te ad extremum precabor, enitárque cum grauissimo viro, ne sis de numero eorum, qui (vt ait) *non solùm viuorum saluti, sed & mortuorum spei inuident, & vniuersorum communes & publici hostes effecti, non tantùm viuos occidere, sed & mortuos, si poßibile esset, rursus extinguere moliuntur. Hoc faciunt* (inquit) *quando orationes, oblationes altaris, sacrificia, eleemosinas, vel reliqua bonorum bona viuorum, prodesse bonis mortuis non posse con-*

Peroratio.

Petrus Cluniac. Epist. ad Episc. Arelat. contra Petrobrusianos.

tendunt, & Ecclesia Christi tam celebrem, tam antiquum morem ab ipso Christo, imò ante Christum ab eius cultoribus obseruatum, vniuerso orbe reclamant. Hæc ille. Hæc hactenus ego.

Vrgetur. IV. Emerge igitur aliquando tandem, ô fili, quem in visceribus charitatis iamdudum parturio non mihi, sed Christo. Neque enim tua, vt exprobras, sed te quęrimus: neque si quid à fidelibus offertur pro habendâ curâ mortuorum, valde mirari debes, cùm ab ipsis iam inde Machabæorum temporibus vsitatum esse inaudieris. Noli, dilectissime, noli de lanâ, vt aiunt, caprinâ litigare, cùm de capite tuo agitur. Annos æternos in mente habeto. Ignem & expiabilem, & inexpiabilem; ne si sis incredulus, purgandi non sit tibi postmodum locus. Recordare quo loco parentes reliqueris, & quo te relicturus sis. Recordare dixisse Christum: *Esto consentiens Aduersario tuo citò, dum cum eo es in viâ, ne fortè tradat te aduersarius Iudici, & Iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Quis est iste aduersarius? nisi (quemadmodum explicat Aug.)

Matth. 5.

ipſa Lex Dei, cui contradicis, & illa tibi, in quantis, etſi non dicam, tu noſti. Porrò Iudicem, tortorem, carcerem minatur, heu qualem! heu quam acerbum! & quia temporalem non agnoſcis, heu quàm æternum! quis enim inde te eruet ab omnibus viciſſim merito tuo deſtitutum? O æternitas quam procul ab hominum mentibus receſſiſti! eheu! *Non eſt ludus hæc vita, aut ſi eſt ludus hæc vita, non eſt ludus alia vita.* Chryſoſt. Quid expectas? Angelum de cælo, aut nouum Lazarum qui hæc tibi nuntius euoluat? ſed habes legem & Prophetas, quos ſi non audis, neque ſi quis à mortuis reſurrexerit, credes. Crede igitur & dic cum Auguſtino, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me, ſed ita purges me in hac vitâ, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non ſit opus.* In Pſ. 37. Crede inquam, & intellectum in obſequium Fidei reluctantem domâ. Redi ad teipſum; aut potiùs relinque teipſum. Audi Deum, audi Matrem, audi Patres, audi Fidem, non ſectam tuam.

DISPVTATIO TERTIA.

De Verbo Dei.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum & distributio totius Operis.

Distributio. I. AD hanc famosam, & omnium facilè principem de verbo Dei controuersiam, quam superiori quæstione sæpè pulsaueram, ambo pari consensione delapsi sumus: tu quidem, quòd negares alteri Magistro posse te fidere, ego verò, quòd viderem ad omnes petitiones meas hoc vnum quasi scutum Ajacis opponi.

Placuit igitur vtrique Disputationem sic ordiri, vt ante omnia de naturâ verbi quæreretur: tum quâ ei ratione credendum esset, & an omni, & an soli? Nam omnino credi oportere verbo Dei, conueniebat inter nos, cùm sit Ecclesiæ

mens, & ſchola, Magiſter unus, omnium diſciplina, nemine qui Dei ſit, magiſterium cæleſte recuſante. Vt mirari ſatis nequeam veſtrorum hominum audaciam, qui cùm de ſe magnificè ſuperbéque ſentiant, quaſi qui ſoli patrocinium verbi ſuſceperint; tum ita de nobis iniquè, vt proculcati rurſus Euangelij, adulterataeque Religionis, acerbiſſimis actionibus in ius vocent. Coli non colenda, colenda non coli, diuinis humana, ſacra miſceri prophanis, denique cuncta confundi. *Nec enim more Papiſtarum* (inquit Caluinus) *dicimus Sacroſanctas Scripturas miſſas fieri oportere, vt authoritati hominum acquieſcamus. Hoc enim effugium cenſemus blaſphemiam execrabilem eſſe.* L. adu. Anabaptiſtas. initio.

II. Quæ cùm apud vilem imperitámque plebeculam effutierint crepantibus buccis; faſtúque, vt molliſſimè dicam, minimè Chriſtiano; hortantur omnes eodem verbi Dei prætextu ad parem animi licentiam: hunc Euangelii pileum, hanc Spiritûs eſſe libertatem; vt nemo ſibi præſcribi ſinat, ſuóque ſenſu quiſque ducatur. *Ad vnumquemque priuatum hominem* (inquit Brentius) *pertinet de doctrinâ Religionis iudicare.* Et Lutherus. *Papa* *Sententia aduerſariorum.* In Confeſſ. VVitemberg.

Art. 115. ex quingentis apud Cochlæum. *tu conclusisti cùm Concilijs, nunc habeo iudicium, an acceptare queam necne.* Denique hic est articulus quartus Confessionis vestræ. Porrò id fit tantâ vi, tantóque profectu, vt sæpè videas ex inerrante mulierculæ (quemadmodum ipsa putat) arbitrio, totius legis iudicium, interpretationémque pendere. Quo quid in Ecclesiâ fœdius excogitari possit, ignoro. Neque enim hoc est agi spiritu aut verbo Dei, sed suâ quemque libidine, vt mox intelliges.

Partitio Operis. III. Sunt igitur huiusce controuersiæ duæ partes. Prima est, quâ statuitur verbum Dei vobis nullum esse, quia desit legitima ratio credendi. Secunda est, quâ ostenditur omni nos, solíque verbo verè ac syncerè credere; quia non nostro sensu, sed Ecclesiæ Fide recipiatur à nobis. Hæc duo si probauero tibi, peroratum arbitror. Vnum est, quod ante disputationem admonebo te cum Ambrosio; vt quemadmodum Moyses egit in desertum oues Iethro, qui dicitur superfluus, ita tu *irrationabilem, & superflui vulgarísque sermonis loquacitatem in secreta quædam sobriæ doctrinæ cogas mysteria; ne tu* sis similis Ægyptiis, *quibus abomina-*

l. de Abel. c. 6.

tio erant Paſtores ouium. Omnes enim (inquit) *qui corpori dediti, paſsionibus huiuſmodi, & voluptatibus indulgent ſuis, diſceptatorem verbi, doctorémque virtutis quadam execratione declinant.* Noſti tres eſſe mentis operationes, primam vt apprehendas, ſecundam vt dijudices, tertiam vt colligas. Sequere hunc naturæ ordinem. Quæ dicuntur, primùm apprehende, deinde apprehenſa digere, & poſtremò quæ ſunt ad ſalutem collige, & quæ ad ruinam corrige. Vt à me tandem aliquando Epinicii vice canatur: *Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber.* Iob. 26.

PARS PRIMA.

Aduerſarijs Verbum Dei nullum eſſe.

CAPVT SECVNDVM.

De naturâ Verbi. Quotuplex ſit, & an ſit Verbum traditum.

I. SCire te igitur primùm oportet Verbum Dei duplex eſſe. Alterum in ſinu Patris adhuc velatum; alterum in *Duplex Dei Verbum.*

ſinu Matris olim reuelatum : illud æternum, hoc temporale ; illud ſemel ore prolatum, hoc aure quotidie conceptũ.
Aug. | *Eccleſia* enim *Mariam imitatur. Virgo eſt & parit.* Parit autem Verbum verbo. Verbum (inquam) quod ab eâ fideliter cuſtoditur in memoriis, vel in monimentis. Nam aut ſcriptum eſt, aut traditum. Si primum, eſt vt Moyſes in papyro ; ſi ſecundum, eſt vt Chriſtus in vtero, digito ſcriptus vterque Dei, ille in marmore, hic in pectore : Eccleſiæ quippe theſaurus, ſeu Bibliotheca duplex eſt, altera ſpirans in membris, altera ſine ſpiritu in membranis. Sicut in foro geminum eſt ius, ſcriptum & non ſcriptum ; ita in templo geminum eſt quoque viuæ & non viuæ vocis oraculum. Illud vocat Euſebius, *Ius Dei non ſcriptum, auctarium Fidei.* Tertullianus, *depoſitum Chriſti.* Irenæus, *in Eccleſiaſticâ memoriâ tanquam in eius ærario cæleſtibus diuitijs opulento.* Quòd enim multa ſint quæ ſcripta non ſunt, teſtatur Ioannes his verbis : *Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur, nec ipſum arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Docet & Paulus, *Itaque Fratres, tenete*

l. 1. de demonſt. euãg. c. 8.
l. de coron. militis. c. 4.
lib. 3.
Ioan. vltim.
2. Theſſal. 2.

nete traditiones quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Hoc eſt vt explicat Euſebius, *partim literis, partim ſine literis quodam iure non ſcripto.* L. de demonſtrat. Euang. c. 8.

II. Amant enimuerò amantes ſcribi potiùs in corde quàm in codice, quia cor amanti tabula eſt, ſanguis atramentum, penicillus amor ipſe. *Plura* (inquit Ioan.) *habens ſcribere vobis, nolui per chartam & atramentum.* Quare, ô diuine vir, niſi quòd charta excidere poteſt, at charitas nunquam? Viget enim memoriâ, æuóque durat extento. Perit liber, non perit Fides. Perit Hebræi membrana, non perit membrum Chriſti, & ſi perit membrum Chriſti, non perit meritum Chriſti. Amburi poteſt eius volumen, at non eius extingui lumen. *Cælum enim & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quia Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur; & ſicuti viuit in membris ſuis, ita & verbum eius in memoriis æternis, *Epiſtola enim noſtra vos eſtis.*

Charitas fidelior quàm charta. 2. Ioann. Matth. 24. 2. Cor. 3.

Cuius viuæ ſpirantiſque bibliothecæ ipſemet Chriſtus prælum eſt & cuſtos: Imprimit enim & imprimitur; cuſtodit & cuſtoditur; ſeruat ſeruantes ſe. Denique transfunditur in membra ſua, & à

parentibus transuolans in nepotes, sanguine sese ipse scribit in nobis suo & nostro; Charactere (inquam) Fidei indelebili, memoriâque sempiternâ. Sic enim promisit per os suum: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Sic & præcepit per Prophetam suum. *Mandauit* (inquit) *patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera.* Sic & decreuit per Apostolum suum: *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Certè diu sine libris stetit mundus, stetit & Fides. Nec ante Christum vsque ad Moysen Magisterium in fide fuit membranæ, sed memoriæ. *Diligenter* (inquit) *inuestiga Patrum memoriam*: Nec post Christum multis annis, antequam Euangelium scriberetur, scriptúmue traderetur. Et nunc quoque certum est multa esse quæ sine scripturis creduntur, vt puta Symbolum Apostolorum, Baptismus paruulorum, Virginitas B. Mariæ perpetua, processio Spiritus Sancti per Filium, æqualitas diuinarum personarum; peccatum originis, eiúsque remedium ante legem, & post legem pro fœminis,

Matth. 28. Psal. 77. 2. Timot. 2. Iob. 8. †

aut etiam pro masculis ante octauum diem; item ipsius Scripturæ Canon; item Dominicæ diei cultus, &c.

III. Non est ergo dubium, quin aliquod existat in Ecclesiâ verbum Dei traditum. Imò cùm hæc duo verba, scriptum dico & traditum, sint æterni Verbi veluti duo quędam pignora, alterum sono, alterum stylo editum, illud quasi primogenitum est, hoc verò posteriùs natum. Dicam ampliùs; hoc etiam ex illo natum. Non enim manu scribitur, nisi quod mente seruatur. Vt mens sit quasi calamus calami, & penna pennæ. Vt verbum traditum sit verbi scripti non frater modò, sed etiam pater. Vnde ab Augustino vocatur Fidei fons & origo: & ab Eusebio Christi tabula. *Moses enim* (ait) *in tabulis exanguibus ac inanimis, Christus autem in mentibus vitâ præditis perfecta noui Testamenti documenta descripsit. Quid enim* (inquit Irenæus) *si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderant iis, quibus committebant Ecclesias?* Vbi docet Traditionem esse primam ac germanam Fidei matrem; Scripturam autem nonnisi vicariam ac succeda-

Conclusio.

L. 5 c. 16. contra Donatistas.

L. 1. demonstrat. Euang. c. 8.

L. 3. c. 4.

neam eius loco nutricem ; quæ non necessitati, sed opportunitati tantùm subseruiat. Si enim bis mille annis ante Christum potuit solâ traditione seruari Fides ; cur non & post Christum, si sic visum esset ? Imò etiamnum, vt mox ostendam, solâ traditione seruatur, saltem in radice ; quia Scriptura tota quanta est, non aliunde vim habet, aut pondus quàm à traditione. Sit igitur hęc quasi fidei basis ac fundamentum, esse aliquod in Ecclesiâ verbum Dei traditum.

CAPVT TERTIVM.

Non minorem esse authoritatem verbi traditi, quàm scripti: imò non credi scriptum quàm per traditum.

Verbi traditi authoritas.

I. IAm verò si verbo Dei debes te discipulum, & integrum, quia vnum est, & perpetuum, quia ipsum æternum; liquet quòd non minùs huic te debeas, quàm illi. Si enim est antiquius, si certius, si ad nos per viuum Ecclesiæ canalem (vt loquitur Augustinus) fideliùs est deriuatũ ; cur obsequium præstes minori, maiori neges, dimidio fidelis, dimidio infidelis, & semi-paganus ? Audi quid il-

le te moneat ſummo vir ingenio, ſummâque ſanctitate. *Ad fontem* (inquit) *recurramus, id eſt ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus.* Vides Apoſtolicam traditionem Fidei fontem appellari, & inde canalem ad nos vſque perduci? Tertullianus eâdem vi, *Si legem* (inquit) *expoſtules Scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætenditur auctrix.* En illa rurſum Fidei lex, & vt loquitur, auctrix, etiam abſque Scripturâ. Chryſoſtomus quoque in eum locum (Tenete traditiones) ſic habet. *Hinc patet quòd non omnia per epiſtolam tradiderunt Apoſtoli, ſed multa etiam ſine literis; eâdem porrò fide digna ſunt tam iſta, quàm illa.* En vt à ſummo inter Græcos viro tanti ſit traditio, quanti Scriptura. Quod & cæterorum Patrum iudicium eſt, quorum & teſtimonia referentur ad calcem.

L. 5. cont. Creſcon. c. 27.

L. de Coron. militis c. 4.

Verbi traditi certitudo.

II. Quocunque enim modo veniat ad nos, ſono ſeu ſcripto, idem eſt verbum Dei ſemper. Mutat ſpeciem, non naturam, & vt flumen in curſu ripam non vndam, & vt epiſtola per viam curſorem, non veritatem. Vt ergo filiæ Regis, etſi mutet habitum, non negatur

obsequium, dum officium constat; ita voci Dei par honor vbique deferendus, quia par vbique debetur, cùm sit diuinæ mentis idem vtrobique partus, corde Christi conceptus, ore editus, gremio fidei enutritus.

Expende (quæso te) quid dicam. Ecce vtrũque verbum, scriptum dico & traditum eodem quidem fonte promanat, sed diuersum per canalem. Scriptum enim committitur Synagogæ, quia *salus ex Iudæis est:* traditum autem Ecclesiæ,
2. Timoth. 2. *& quæ audisti* (inquit) *à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Alterum igitur habes ab hostibus Fidei, alterum à fidelibus Christi. Iam ex te quæro, cur in infideli fidem speras, quam desperas in fideli? Hoc est cur à Iudæis existimes prodiisse verbum legitimum, verum veréque diuinum, sine adulterio literæ, sine mendo, & sine mendacio? idem à fidelibus non expectes? Si caussam errandi perpendas, maior est in Iudęo quàm in Christiano: nam ibi odium fidei est, hic amor. Porrò vbi odium est, ibi corruptela; vbi charitas, ibi cautela; amore quippe nihil perennius.

Scribit in auro, pingit æternitati. Denique haud prauè negligitur, quod charè diligitur. Si facilitatem ſpectes, longè facilius eſt literam è libro excidere, punctum è literâ, quàm vniuerſorum memoriam, multò minùs fidem interire. Si rerum euenta retexas, patet patuiſſe ſemper errori literam, imò & corruptioni, nec hanc reſtitui niſi per illam, primùm ab Eſdrâ, ante cuius tempora vix erat vllus Scripturarum vſus; tum à Ptolomæo per Septuaginta, poſtremò à Hieronymo per Hebræos: hinc puncta Maſſoretarum; hinc Origenis illa famoſa tetrapla. Hinc Theodotionis, Aquilę, cęterorúmque tot & tantæ verſiones. Vnde autem tibi conſtat in his omnibus Synagogam nec falli nec fallere? Aut vnde tibi dubium eſt Eccleſiam falli vel fallere, cùm habeat oculos Dei, ſítque ipſa firmamentum & columna veritatis? In verbo ſcripto non hæres, cur in tradito? de literâ certus es, cur non de fide déque traditione? Audi Ambroſium. *Hæc enim* (inquit) *fidelis eſt virtutum memoria, quæ intra ſe continens Chriſtum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur.* Serm. 57.

Eiusdem perpetuitas

III. Crede mihi, Fides quæ maior fuit prælio Gentium in persecutione, maior est Hebræorum & prælo in consignatione, & quæ Sanguinem vicit, potest etiam atramentum vincere. Neque enim facilè sæculi more vincendum est, quod æterno Christi amore vinciendum est. *Posui in ore tuo verba mea. Vt plantes cælum & fundes terram*, inquit Bernardus. Sicut enim amor prima est origo naturæ, primus, vt ita dicam Pater; ita est & gratiæ. Putásne si vigeret in corde tuo, veréque Christum adamares, hæc te oscitanter perfunctoriéque dimissurum? Charitas Christi vrget nos, & ad meliora compellit etiam reluctantes; ingens animæ monitorium ac ingenii viua fax, memoriæque vt ita dicam memoria, vel vt Ambrosius, *quædam intestata testis*. Intus, intus docet in imo, qui cathedram habet in cælo, Ecclesiæ Doctor, & Sponsus Spiritus Sanctus. *Ecclesia* enim *atramentum nescit, Spiritum nouit.*

Serm. de quat. debitoribus

l. de Abel. c. 6.

Idem l. de Noë. c. 13.

CAPVT QVARTVM.

Impoßibilitas aliter credendi.

I. VErùm ea res, quoniam totius Fidei cardo quidam est & caput,

mihi videtur esse à nobis paulò accuratiùs inuestiganda, vt intelligas aliquando, non tibi verbum Dei quod gloriaris, sed te verbo Dei potiùs esse Iudicem & Magistrum. Scripturam (inquam) non à te coli, sed sensum tuum, sed idolum tuum; idolum quidem libertatis tuæ, Caluini verò dolum, quo caperis, dum capi non vis, & capere vltra captum & sapere plusquàm oportet frustra moliris. Porrò (vt egregiè Nazianzenus) *curandum est ne scientia sit armatura mortis, sed vt sit iustitiæ scutum.* Ad Iulian.

Duo sunt in verbo Dei, ex quibus tanquam ex animâ & corpore coalescit, nempe litera & literæ sensus. Neque enim sine literâ sensus haberi potest, neque rursus litera prodesse sine sensu. Iam verò quàm vtrumque varium apud varios sit, quámque multiplex, puto nosti. Nam alii literam è codicibus hauriunt Hebræis, alii è Græcis, alii è Latinis. De literæ sensu infinita quoque quæstio est, & multò magis implicata. *Omnes tument, omnes scientiam pollicentur.* Atque vti rem pressiùs exponam, reuoca, si placet, ab inferis quotquot antea de hoc verbo vel inter se, vel contra Ecclesiam acerrimè

Duo in verbo, sensus, & litera.

Tertull.

disputarunt. Ecce omnes ex suo quisque orbis angulo vociferantur, ego possideo, meum est verbum. Tu quoque medius inter hos clamas, ego possideo, meum est. Hoc vno nitor, hæc regula Fidei meæ, hæc vnica infallibilísque nota. Sunt enim verba tua; sunt omnium hæreticorum. Atqui cùm vnum sit verbum, simplex atque indiuiduum, vtpote veritas, possideri simul ab omnibus nequit, qui sint inter se diuisi & partibus & sententiis. Quæro igitur à te, vnde tibi constet apud te illud exclusis omnibus remansisse? Te literam, te germanum sensum, vnum vnicè habere? Quia sequor (inquis) Hebræos fontes. Esto. Primùm hoc omnes hęretici clamant, vt tu, quamquam inter se contrarii. Deinde vnde certò scis ab inimicâ gente non esse vitiatos, aut etiam imminutos? Quis hoc reuelauit tibi? An Pater meus, qui in cælis est? Non puto. Et si hoc dicis, hoc & à me, & à quouis dici potest. Ergo de literâ non es securus. De sensu multò minùs. Quonam enim (quæso te) indicio, quáve indagine ad ipsum occultissimæ veritatis gremium tantâ fœlicitate perueneris, cùm omnes, vt credis, aberrauerint,

quis assequatur cogitando? Quos in hâc aruinâ cęli venandâ, vt Tertulliani verbis vtar, quos (inquam) canes, quos duces habuisti? teipsum? hominem? Angelum? quemcunque dixeris, patet errori, & si non est verbum, verbo ad verbum non peruenisti, quod iactabas tamen.

II. Dices hîc fortasse te verbum verbo comparare, & sic ad verbum per verbum peruenire. Verùm vt sic ad verbum per verbum peruenias, comparatione vnius verbi cum alio, quo medio tertióve verbo ad vtrumque perduceris? Nam vt ex comparatione certum aliquid fixúmque eruatur, iustam hanc esse comparationem oportuit innotuisse. Peto vnde? An ex tuâ ipsius coniecturâ? At infirma est. An ex alienâ? Et hęc etiam incerta est, cùm vtraque sit humana. An ex ipsiusmet interlucente verbi veritate, quasi quę alieno non indigeat testimonio, & quę suâ se luce prodat, neque enim, vt dicitis, Sol & Luna interprete indigent? Sed ego respondeo, Sol & Luna non indigent quidem, at Fides non est Sol & Luna; cùm ipsa sit obscura, argumentum non apparentium. Audi S. Zenonem. *His neque circulus Solis per diem, ne-* *Effugium.*

que argentea Luna per noctem, sed columna nubis iter pandit ignotum. Alioqui si comparando verbum verbo, res elucesceret, vt credis, vnde tot rixę de verbo, etiam inter vos? Vnde tot Canones quot penè ceruices? tótque Fidei capitula, quot capita? tótque Scripturę textus, quot hominum sensus. Nonne propterea Lutherus coactus est dicere, *Si diutiùs steterit mundus, iterum fore necessarium, propter diuersas Scripturæ interpretationes quæ nunc sunt, vt ad conseruandam Fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Et in pręfatione ad Psalmos, *Nolim ab vllo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctißimorum & doctissimorum, id est Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere.... Multa reseruauit sibi Spiritus, quò nos semper discipulos habeat, multa solùm ostendit vt alliciat, multa tradit vt afficiat.* Et infra, *Scio esse impudentißimæ temeritatis, eum qui audeat profiteri, vnum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.* Cēturiatores etiam sic habent. *Senserunt Apostoli Scripturas non posse intelligi sine Spiritu Sancto & interprete.* Fateor (inquies) ego quoque, sine Spiritu; nam Spiritus est qui omnia

L. 1. contra Zuingl. & OEcolamp.

Centur 1. l. 2. c. 4.

dijudicat. Verùm ille Spiritus nobis datus eſt à Patre, promiſſus à Filio, *vt maneat nobiſcum in æternum*, & ipſe ille eſt, qui nos omnem docet veritatem. Itáne? At de hoc ipſo Spiritu quęſtio redibit, vtrum tu an ego Spiritum Dei habeam? Et quo id verbo conſtabilies? Nam ſi porrò ſufficit dicere, vt in causâ peroratâ, meus eſt, omnes vicere, cùm hoc omnes canant. Quęrimus autem, vnde manifeſtum poſſit eſſe cuiquam te hunc habere potiùs quàm me, aut me potiùs quàm te, *Et per quam viam tranſiuit Spiritus Domini à me, vt loqueretur tibi?* 2. Paral. 18.

III. Poſtremò vt effugiendi ſpem omnem intercludam, vel ad Spiritum recurris, vel ad verbum; ſi ad verbum, eſt hæreditas communis, & vt ais, ſuo ipſa lumine collucens; vnde ergo partes? Vnde hunc hic recipit librum; illum ille reſpuit? Sin ad Spiritum; ſua cuique mens, ſua eſt hæreſis, vnde ergo Fides? Nam ſi nulli credis, niſi tibi tuóque ſpiritui, non credis, ſed opinaris. Quod ſi verbo verbum comparas, cui verbo verba omnia comparabis? Eſtne præter omnia Dei verba, aliud Dei verbum, ex quo omnia poſſint iudicari? Si eſt aliud, *Inſtantia.*

quomodo sunt omnia? Aut si sunt omnia, quomodo est aliud?

Ecce vtrumque Testamentum in medium propono, de vtroque disputo. Quis tibi renuntiauit vtrunque esse verum, vtrumque genuinum, neutrum suppostitium? Imò quis tibi dixit esse vel fuisse vnquam aliquod verbum Dei scriptum, neque præter hoc quod habes, esse aliud scriptum? Vnde hæc inquam omnia credis? vnde habes? Ex scripturâ? minimè, nam de illâ agitur. Sumimus enim omne verbum de quo quæritur an sit Dei verbum. Ex reuelatione? quænam illa? vbi illa? priuata an publica? tua, an aliena? De quâ rursus redibit quęstio, an ipsa verè sit reuelatio Patris, & vnde constet? an authoritate? cuius? aut quâ? éstne authoritas Caluini vel Hebræi fides seu traditio? Sed neque hic neque ille est Filius Dei? vnde ergo tandem? quo spiritu? quo argumento? quâ ratione? quâ luce duceris ad verbum? si singula non credis, vt putas, nisi nixus verbo Dei, quomodo vniuersa credis sine verbo Dei? si incertus es de parte, quomodo certus es de toto? si membra singillatim repudias sine certo

indice, quomodo corpus vniuersim admittis sine certo authore? aut quæ potest esse totius ædificij structura sine fundamento, vbi singuli lapides ruant sine cæmento? Vidésne quantis ego te in transuersum agam, quámque acribus telis? Manifestè enim conuinco totam à vobis admitti Scripturam solâ hominum traditione,& quidem nō optimorum,quod etiam fatetur Brentius in Prolegomenis, & Kemnitius in examine Concilii Tridentini, tractans de secundo genere traditionum.

IV. O mirabilem hominum in re tantâ solertiam! clamant vbique & ad rauim vsque se nulli credere nisi verbo Dei, hunc sibi magistrum, hanc esse Fidei regulam vnam: & ecce ipsum verbum quantum quantum est, ne ab Ecclesiâ canonicè, vt à verâ nutrice nudum integrúmque sumant,ab hostium fide, ab hominum traditione & traductione personatum ac mutilum petunt, menbris hinc inde vel concisis, vel etiam detractis. Quin & alienatum à sensu suo, exanimum prorsus & exangue. O decus illud ingens Euangelicæ reformationis! in quo tandem,in quo situm est? in hoc vno *Conclusio.*

ſcilicet, vt totius ædificio fidei non aliud præſtruatur fundamentum quàm hæc hominum vel traditio, vel traductio. O fundamentum de ruinâ, ruinámque de fundamento! Cyprianus Martyr teſte Nazianzeno *brutam literarum peritiam, veritatis verbo ſubiecit*, hi contrà verbum veritatis ſubmitttunt brutæ peritiæ, vel ſuę, vel Hebręę. Sic creditur non Deo, ſed ſibi, ſed homini. Sic Caluinus, vt *& Iudæus habet oleum ſed non effuſum, habet in codicibus, ſed non in cordibus.*

In laud. Cyprian.

Bernard. ſerm. 14. in Cantic.

CAPVT QVINTVM.

Eadem impoſsibilitas credendi probatur ex comparatione verbi ſcripti cum tradito.

Par credendi modus in vtroque.

I. NVnc ergo redi mecum ad totius quęſtionis caput. Nonne lis erat inter nos de verbo tradito, an ei credendum eſſet, & ipſúmne credendum eſſet? Quod aiebam, tu negabas: & negabas tu quidem, quia non conſtaret, vti volebas, eſſe Dei verbum, cùm eſſet ſine verbo verbum. Ego verò oſtendi te qui nullum verbum ſine verbo credere te putas, credere tamen ſine verbo omne

omne verbum; nempe ſine tertio vtrumque Teſtamentum, ſine nouo inſtrumento vtrumque inſtrumentum. Incumbo nunc inſtóque ruenti. Si verbum ſcriptum ſine alio verbo ſcripto creditur, quare non & traditum? Si petitur illud à Synagogâ, quare non hoc, quare non vtrunque ab Eccleſiâ? tu literam habes ab Hebræo, ſenſum à teipſo, vtrunque ab homine, & quia vtrumque ab homine, totum à Dęmone. Non enim audis Eccleſiam, ſed te; ſenſu duceris non fide. Denique ſimilis es idolo Babylonio, caput habens in cœlo, pedem in cæno, totum in ſomnio, quia totum ab hominum ſono; ſtatuam inquam ſine fidei ſtatu, & ideo ſine ſtatu, quia ſine ſitu, vbi mens quieſcat. Hinc tibi nihil vnum, nihil certum, nihil Dei, quia totum tui. In ſummâ miſer es, qui te non verbo credas, ſed verbum tibi. En idolum. Sed quicquid illud eſt, credis verbo ſcripto, aut vt emendatiùs loquar, credis verbum ſcriptum, non per aliam ſcripturam, ſed per traditionem Hebræam, aut per traductionem tuam, vel alienam; quocunque modo non per diuinam aut Apoſtolicam, ſed per humanam textu &

ſenſu. Super hoc imminens impendénſque tibi rurſus inquiro, ſi ſic ſcriptum, quare non ſic traditum? Quid habet illud ampliùs quàm hoc? aut hoc minùs quàm illud? & quomodo tota tua fides quantulacunq; eſt, teſtimonio in radice nititur humano, quæ ne in apice quidem credere nouit niſi diuino? Si teſtimonium non accipis ab homine, quomodo Teſtamentum accipis ab hoſte? ſi non literam, quomodo librum? ſi non vnciam, quomodo libram? & libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, quo vngitur caput Chriſti, hoc eſt fides? *Genæ enim Chriſti* (inquit Philo Carpathius) *ſunt Sacræ Scripturæ quæ vnguentum ſuauiſſimum ſpirant ad omnem animi languorem ſanandum.* Eccleſ. 10. *Sed ecce muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Et quomodo predunt? Audi Ambroſium. L. 2. de fide. c. 1. *Scriptum eſt; agnoſco. Sed litera errorem non habet, vtinam Arriana,* (dicamus) *vtinam Caluiniana interpretatio non haberet. Apices ſine crimine ſunt, ſenſus in crimine*; Addo, & litera in diſcrimine, cùm nullo fundamento nixa fatiſcat.

Par authoritas. II. Par (inquies) in hoc opere vobis eſt iniecta difficultas, quibus ad cre-

dendum omne verbum, non ſuppetit aliud verbum niſi fortè humanum. Sed de hoc ſtatim agemus, nunc quod cępimus, vrgeamus, vt omnibus manifeſtum fiat, te qui ad generis humani reformationem inſignem, nouámque accingeris ex vnius verbi regulâ, nihil habere præter humanum Hebræi Caluiníue teſtimoniũ, in quod vltimò reſoluitur omnis fides tua. Nam cùm eadem ſit authoritas pro verbo tradito, quæ eſt pro ſcripto, eadem item Eccleſię fides, idem conſpirantium vndique Patrum pro vtroque conſenſus, ratio credendi etiam hîc certior, vt audiſti; ſi verè Deo crederes, vtrique pariter aſſentires. Nunc autem cùm vni credas, alteri diſcredas, eſt aliquid præter hæc omnia, quod te mouet. Quid illud? ſine dubio quia recipitur à Miniſtris hoc & non illud; vnde etiam Scriptura tantum habet apud te ponderis, quantum apud illos. Quam illi reſpuunt, tu quoque reſpuis; quam admittunt, admittis, nec plùs nec minùs. Neque dicas te non tam authoritate eorum quàm ratione duci, quæ tibi rem euincere videatur. Nam ſi ita eſſet, cùm vnicuique ſua ſit diuerſa mens, quî fit vt

omnes Caluinistæ Apocalypsim, v. g. probent, omnes Lutherani improbent? Deinde siue ratione eorum, siue authoritate ducaris; vtraque humana est, & aliud vtraque quàm verbum. Itaque Scripturæ credis, non tantùm quia verbum Dei est, sed quia verbum Dei est, & placet vel tibi, vel Ministris. Vtrumque, inquam, complectendum est. At ita credere, non est credere Deo soli, imò non est vllo modo credere Deo, sed hominibus, quia vltimò non moueris ad credendum, nisi vel impulsu Ministri, vel tuo. Quòd si te verbi fides ad fidem impulisset; cùm idem manens idem, aptum sit facere idem, teste Philosopho, hîc te quoque ad eandem fidem amplectendam vtique permoueret. Impossibile enim est, vt eidem credas simul atque discredas, actor & patronus, Discipulus & Censor. Aut ergo credas oportet vtriq; aut certè neu-
Iacob. 2. tri, *& in vno peccans, factus es omnium reus.*

Conclusio. III. O te miserum! qui sine Deo es, & sine verbo tum tradito, tum scripto, non iam ex dimidio infidelis, sed ex toto; imò tanto peior infideli, quanto notior est tibi, quâ veritatem detines, iniustitia tua. *Quid enim inter eos distat* (in-

quit Tertullianus) *nisi quod ethnici non credendo credunt, at hæretici credendo non credunt?* L. 1. de carne Christi c. 15.

Et tu deinde cum Hermanno nescio quo grauiter expostulas in hæc verba. *Cur Augustine traditiones extra Scripturam cum alijs patribus obtrudis?* Cur inquis? rationem petis? do tibi. Quia præceptum Domini est vt audiatur Ecclesia, & si solum fiat, sufficit. Cur? quia præceptum Apostoli est, vt traditio teneatur etiam absque Scripturâ, & nisi fiat, aliud non sufficit. Cur? quia talis est fides ab omni retro memoriâ. *Si quis* (inquiunt Patres Concilij Nicæni) *traditionem siue scripto siue consuetudine corroboratam non curauerit, anathema sit.* En ratio nostra. Sed tu responde viciſſim: cur mandata Dei transgrederis propter traditiones traductionésque vestras? Cur Magistro præfers Ministrum? Apostolo Caluinum? Augustino cæterísque patribus teipsum, tuúmque sensum? Quis es tu qui Patres ita conculcas? *Nonne qui spernis, & ipse spernêris? Habet, habet omne patrimonium fidei* (inquit Ambrosius) *qui recipit verbum*; sed tu qui diuidis Christum à Christo, verbum à verbo,

Action. 7

Isa. 30.

De Tob. c. 19.

traditum à scripto, vni tuo modo credens, alteri nullo modo; nimirum exors es, & exhæres vtriusque Testamenti. *Fides enim ea sola est* (vt ante nos definiuere Doctores) *quæ Deo credit, non quia verum appareat quod iubet, aut dicit, sic enim cuiuis crederetur: sed quia iubet, etiamsi non appareat. Hoc est primum mentis humanæ soluendum Deo vectigal. Hoc totius religiositatis fundamentum, sine quo omnis alia gens infidelis est in Deum & incredula, quia capitibus quodammodo inclinatis errorum suorum suasiones adorat & colit.* Sic ille.

Guilielm. Parif. c. 1. de Fid. & Leg.

CAPVT SEXTVM.

Eadem impoßibilitas credendi probatur ex parte subiecti.

Exemplũ imperiti.

I. HActenus egi tecum, vt cum homine erudito; nunc aggredior hominem literarum rudem ac imperitum; atque vt id clariùs elucescat, adduco in medium mulierculam anxiam de vero, sollicitam de verbo. Enimuerò siquidem Christiana est, erudiri eam in Lege oportet, ad verbúmque perduci. Vnde illud porrò petet authore te? Ministros (inquis) audiet. Quos? Veros ver-

bi diſpenſatores. Quos inquam ? Lutheranos, Caluinianos, Catholicos ? (ſcis enim omnes ſcientiam polliceri, cùm omnes non habeant tamen) vnde ergo ſubodorabitur hos veros eſſe, illos falſos ac ſubdolos ? Quid iubes ? Explorétne ſenſus ſingulorum ? an conferat textus vniuerſorum ? Hebræos, Græcos, Latinos ? (his enim linguis loquitur Spiritus lucis, quibus inſcribitur titulus Crucis) at id quâ ratione ? cùm ſit idiomatum æquè ac dogmatum inſcia, deniq; idiota ? Traductionínе fidet an authentico ? Quid demũ approbas, aut quò illam amandas ? Ad Scripturæ ſenſum, an ad textum ? Ad authorem, an ad interpretem ? Si ad textum, non capit; ſi ad ſenſum, non capitur; ſi ad authorem, non intelligit; ſi ad interpretem, non admittit; nam hic interpres quicunque tandem, homo eſt, & omnis homo mendax ac fide dubiâ, vt tute vſque & vbique deprædicas. Fortaſſe vis vt ad ſpiritum recurrat ſuum, arbitrum, vt cenſes, iudicémque cauſæ ? Verùm vti ſpiritus iſte dijudicet in tantâ causâ, primùm oportet vt cognoſcat; *ſi iudicas*, ait ille, *cognoſce.* Vnde porrò cognoſcet omnium ignara rerum, quæ ne ſtatum

Senec. in Medeâ.

quidem quæstionis,ac prima dogmatum elementa comprehendit ? Quid quod eum in finem non sufficiet audire singulos, nisi etiam vniuersis præbuerit aurem, vt neminem inauditum præpostere condemnet ? Comparandi igitur erunt & personis, & argumentis. Examinanda cuncta. Textus an legitimi sint, probandi? fidæne sint traductiones, necne ? Ponderandi præterea sensus ; conferendi inter se & cum antiquis Patribus. Quo id autem pacto ? Fac velle discutere, infinitum est, ne possit : fac posse, ingratum est, ne velit : fac posse & velle, infidum est,ne prosit. Vbique hæret, vndique arcetur, incapax veritatis, erroris capacissima.

Incapacitas iudicandi. 2. Petr. 1.

II. Deinde, quis te vel illam constituit iudicem ? non audis Petrum, *Quia omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione* non fit ? *Hoc primùm* (inquit) *intelligentes.* Quasi dicat, hoc in Fide principium est, ex quo cætera pendeant. Nam ad recti iudicii statum tria requiruntur : potestas in iudicante, capacitas in deliberante, æquitas in liberante seu damnante. Prima vt sedeat, secunda vt cognoscat, tertia vt sententiam ferat. Atqui desunt hîc

omnia: authoritas priuatæ, capacitas imperitæ, æquitas factiosæ. Quale ergo iudicium statuetis tu vel illa, parte inauditâ alterâ, imò pars ipsi cùm sitis, & qualis pars? Quàm obnoxia mentis excussæ vertigini, quàm infirma sine firmamento & columnâ veritatis?

III. Id autem vt manifestius euadat, fingamus animo (sunt enim liberæ cogitationes nostræ) fingamus, inquam, aliquod in meditullio terrarum amplissimum Ecclesiæ tribunal, ad quod omnes omnium ætatum partes vndequaque confluxerint. Ibi velut in quodam caueæ consessu, confertissimis vndique cuneis celeberrimi quique suo in ordine considéant antiquissimi Patres; hinc toto ab oriente Dionysii, Clementes, Irenæi, Gregorii, Chrysostomi, Cyrilli: inde toto ab occidente Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini. Adsint quoque vestri palmares lanistæ cum arenariis gladiatoribus suis; Lutherus, OEcolampadius, Caluinus, Beza, Castalio, cæterique: postremò medius ad podium ipse Imperator Christus vt in sæculari ludo præsideat, solio sublimis, igneóque vultu decorus, qualis in Apoca- *Explicatur insigni parabolâ.*

lypsi depingitur, cui Angeli, cui Senes, cui Euangelicæ Sphynges oculatæ ac quadrifrontes incredibili quodam animi stupore circumsistant. Hîc liber scriptus intus & foris, signatúsque sigillis septem proferatur, & simul cum illo omnes omnium versiones Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, vernaculæ, omnésque variæ textu & sensu, de quibus iudicandum sit.

Statuamus porrò quòd ibi cùm ab omnibus magna disquisitio fieret, & nemo posset aperire librum, exurgat in medio throni & quatuor animalium, non Agnus, non Apostolorum Princeps Petrus, aut Hierosolymorum Antistes Iacobus, sed tua illa legum ac diuini iuris arbitra. Qualis autem? Carbonaria, cauponaria, textrix, institrix, quæcumque tandem (nam cùm in cæteris causis delectum habeas, in hac ex omni ligno Mercurium & Iouem facis.) Ascendat itaque in suggestum, eò audacior, quò vilior, tractatura non rem populi, sed negotium illud magnum omnium sæculorum, opus, inquam, Dei & Agni, cui cæteri sint omnes impares. Tum silentio maiestate manûs indicto, acceptóque de dexterâ sedentis in throno volumine, ita demùm

pronuntiet, *Visum est nobis & spiritui* nostro, qui controuersiarum vnus est supremúsque arbiter, de textu sensúque Scripturæ sic & sic profitendum. Qui secùs senserit, anathema sit Deo & nobis. Præterea si Papistæ clament: *Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres; sciant nos Ecclesiam, Patres, Apostolos, ipsósque adeo Angelos verbo iudicare, neque mille Cyprianos, neque mille Augustinos vllâ ratione curare, qui non sint digni soluere corrigiam calceamenti mei.* Hæc inquam illa respondeat eodem iure, eodem tenore quo Lutherus olim, & quo Lutheri concubina Catharina. Sunt enim hæc illius thrasonica verba, quæ recitaui.

Luther. l. contra Regem Angliæ, Luther. in Confessio. Germanic.

IV. Iam verò positâ tali iudice æmulâ Patrum, & totius Ecclesiæ magnificâ competitrice quam optatis, tria quæ paulò antè quęrebam, iterum requiro.

Tres instantiæ.

Primum est; vnde huic vestro nouissimo rhamno tot inter cedros Libani iudicandi potestas? Vnde cęteris recusantibus audacia tanta? Scis Petro dictum esse, Pasce oues meas; sed vbi dictum est, tu Lutheri Catharina, tu Bezę Candida, *porta iudicium filiorum Israël; quodcunque solueris super terram, erit solutum & in ca-*

lis, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Erit os tuum, os Dei, & lingua tua clauis cæli. Quin è contrario nonne sanxit Apostolus, ne qua mulier in Ecclesiâ doceret, aut dominaretur in virum, sed in silentio disceret cum omni subiectione. Si in virum dominari non permittitur, quantò minùs in Christum? si ne in familiâ quidem, quantò minùs in Ecclesiâ?

Secundum quod de te quæro, & de quo queror; est vt euoluas, vnde huic imparatissimæ omnium, omniúmque imperitissimæ mulierculæ insit ad iudicandum de tantis rebus capacitas tanta quantam oportet? Nam vt æquâ lance statuatur, quæ sit optima Scripturæ seu versio siue interpretatio; scis coniici partim è radicibus, partim è punctis, vsu, stylo, modísue Linguæ vel Hebrææ, vel etiam Græcæ; item ex collationibus originalium textuum cum traductis: quonam autem pacto id assequatur homo misserrima, quæ ne apices quidem sui nominis legere possit? Quid? non erubescis hæc audiens?

Tertium est, vt ostendas vnde constet huic iudicio æquitas? Non enim igno-

ras iuxta leges esse iudicandum. *Nam qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licèt statuerit haud æquus fuit.* Itaque audiendæ sunt vtrinque partes, & vtrinque testes. Æmulandus ille qui in Genesi dicit: *Descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint.* Gen. 18. Atqui nihil hîc præter vestros Ministros auditur à vobis, nihil de nostro iure cognoscitur. Neque obiicias etiam vos non audiri à nostris; nam cùm apud nos nemo sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, satis superque nobis est, vt quoniam ipse Christi vices gerit, quid de vnaquaque re sentiendum sit, Ecclesiastico Canone definiat, de quo mox dicturus sum. At vobis qui à vestro vniuscuiusque iudicio pendeatis, imò à quibus pendeat lex tota; vides rem plane ineluctabilem, authoritatis, æquitatis, scientiæque defectu.

V. Ergo vt hanc primam controuersiæ partem absoluam, ostendi tibi duplex esse verbum Dei; scriptum & traditum: ac traditum quidem esse posse sine scripto, nunquam autem sine tradito esse scriptum, imò hoc non credi nisi per Conclusio.

illud. Hinc in controuersiis à Scripturâ iure appellari ad traditionem, at non viciſſim à traditione ad Scripturam. Propter quod enim vnumquodque tale & illud magis; ſiquidem nihil ſcribitur vt dixi, niſi quod mente retinetur. Hinc etiam vtrique par obſequium deberi, cùm ſit vtraque vox æquè Dei. Quare vel vtrique credi, vel neutri: & quia vos non vtrique creditis, neutri credere. Ad hæc probaui te verbo Dei iudicem eſſe neque poſſe, neque debere: non poſſe, quia ſit vltra vires; non debere, quia ſit vltra vices; ſi ſenſu tuo duceris, non credere, ſed opinari, nec audire, ſed docere; ſin impelleris alieno; non verbo credere, ſed vermi, hoc eſt homini; quicumq; ſit ille tandẽ, à quo textũ Scripturæ, ſiue etiam ſenſum acceperis. Denique vtroque modo credendo, nullo modo credere, ac propterea fide planè carere.

Quæ cùm ita ſint, intelligis opinor, quanti ſit ea res in hocce negotio momenti, quâ ſcilicet vnâ vertitur omnium omnino controuerſiarum caput & cardo. Nam deſtructo totius Fidei fundamento quod eſt verbum Dei, ſeu ratio quâ ei credendum eſt; exinde totam

ædificii molem vno simul impetu pessum ire necesse est. Nullam autem inesse tibi fidem, patet ex dictis. Reliquum est, vt quo nos ordine verbo Dei credamus, quóque sit credendum, ostendam tibi.

PARS SECVNDA.

Catholicos omni solique verbo syncerè credere.

CAPVT SEPTIMVM.

Quæ sit Catholicis ratio credendi.

I. QVod lippientibus, idem in hac sentiendi ratione vobis euenire solet. Nam quia rem attingere non potestis, eâdem omnes facilè putatis hallucinatione teneri. Verùm enimuerò longè alia nobis ratio est dissimilísque credendi modus. Nam etsi non assentiar nisi verbo Dei, tamen ad illud verbum non per aliud verbum, neque per spiritum meum ire contendo, vti vos: sed à Patribus, Conciliis, ab Ecclesiâ Matre cùm diligenter exquisiero, vbi sit Rex Iudæorum, vbi litera, vbi sensus, mihí- *Ratio credendi.*

que vniuersorum ordinum concurrentibus vndique votis renuntiatum fuerit de hoc Verbo ; sequor exinde stellam itineri præiectam meo; sequor (inquam) facem quam Ecclesia præfert, & cum inuenero Verbum infans maternis obligatum in cunis: curis adoro cælestibus, supplex osculor, pronus amplector; non quia ostensum est à Matre, sed quia reuelatum est à Patre. Ecclesia quidem verbum vbi sit, ostendit, sed posteaquam huius euocati voce, ad illius lumen accesserimus, introductrici dicimus vt illi
Ioan. 4. olim, *Quia iam non propter tuam loquelam credimus,* quanquam antea dixerat; *Multi crediderunt propter verbum mulieris testimonium perhibentis, nunc autem non propter tuam loquelam, ipsi enim audiuimus & scimus quia hic est verè saluator mundi.* En regius ad fidem trames.

Confirmatur exemplis. II. Sic legem à Iudice ciuis, sic Regem à lege subditus, sic Patrem à Matre Filius primùm accipit, & deinde cùm acceperit, alacer ad dicta concurrit. Sic per Mosis prodigia, pérque miracula Christi & verbo Dei, & verbum Dei creditum olim, tanquam per signa aut sigilla diplomatum, infidelibus necessaria; sic post

vtraque

vtraque & Ecclesię & Synagogæ, tanquam interpreti verbi Dei: nimirum Patribus *in Spiritu Sancto congregatis.* Vbique enim Fidem pia voluntas præcedit, piam autem voluntatem prudentia, prudentiam ratio, postremò rationem diligens Patrum & totius Ecclesiæ in eandem Fidem conspirantis inuestigatio. Nam etsi non videt Fides oculis suis, quod credit, videt tamen alienis; sic & cæca est, & oculata; sic & intellectus in obsequium Fidei liber & captiuus, sine scientiâ, non tamen sine lege aut ratione, humilis, quia subiectus; pacificus, quia cõcors, constans, quia Deo morẽ gerens.

III. Audi virum non disertum illum quidem, sed tamen magna sentientem. Nam vbi stabiliuit Fidem Deo deberi puram atque integram, quæ nec vt Iudæi signa quærat, nec vt Græci sapientiam, concludit in hæc verba; *Ex his apparet quia Fides est digna Deo credulitas, quâ ei, scilicet Deo, creditur vt dignum & iustum est, hoc est sine omni pignore & cautione, scilicet gratis & obedienter, & non propter hoc quia verax est, aut quia verum est quod ipse loquitur, sic enim crederetur homini cuiuis; sed quia iubet seu præcipit, seu vult. Iu-*

Confirmatur authoritate.

Guiliel. Parisiens. c. 1. de Fide & Leg.

bet, inquam, aut præcipit per Legislatorem, aut Legis expositores. Creditur ergo ei ex virtute obedientiæ, & ipsa Fides est, per quam obedientia sua debitum Deo soluit intellectus humanus. Et est fundamentum totius religiositatis. Neque enim (vt ait Tertull.) *quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcipit. Ad exhibitionem obsequij prior est authoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis.*

c. 4. de pœnitẽtia.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd Ecclesia controuersiarum sit Iudex.

Ecclesia Legis interpres. Deuter. 17. *Probatur authoritate.*

I. QVòd autem ab Eccclesiâ petenda sit Legis interpretatio, docet Scriptura. *Si difficile* ait) *atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæréSque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Labia enim Sacerdotis*(vt est apud Malachiam) *custodient scientiam & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Vnde sanctissimus Rex Iosaphat ad Sacerdo-

c. 2.

tes aiebat: *Amarias, autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Quin & ipse Christus in Euangelio monet omnia, Sacerdotum ex præscriptis esse peragenda. *Super cathedram* (inquit) *Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite.* Petro quoque dixit, *Pasce oues meas.* Et, *tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos.* Vnde Paulus Ierosolymam profectus est, vt conferret cum Petro, ne differret à Petro. *Ascendi* (inquit) *Ierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus.* Et quid causæ fuit, ô diuine vir? *Ne fortè* (inquit) *in vanum currerem, aut cucurrissem.* Itáne? tu raptus in tertium cælum? tu αὐτοδίδακτος? Ipse ille. Ex quo [a] Tertullianus, [b] Hieronymus & [c] Augustinus negat Ecclesiam Paulo fuisse credituram, nisi eius Euangelium comprobaretur à Petro.

l. 2. Paral c. 19.

[a] l. 4 in Marcion. [b] ep. 89. ad August. [c] l. 28. in Faustum.

Probatur consuetudine.

II. Neque verò alia fuit post hominum memoriam Ecclesiæ consuetudo. Nam si quid natum erat quæstionis in absentiâ non tantum Mosis, vt est in Exodo, sed etiam Domini nostri Iesu Christi, vt est in Actis Apostolorum, statim ad eam tan-

quam ad omnium interpretem Legum recurrebatur. Sic hæreſes damnatæ ſingulis quibuſque ſæculis, Iudaizantium, Nouatianorum, Arianorum, Macedonianorum, Neſtorii, Eutychetis, Pelagii

l.3. de vitâ Constantini. & cæterorum. *Nam quicquid in Sanctis Epiſcoporum Concilijs decernitur* (aiebat Conſtantinus Imperator apud Euſebiū) *id vniuerſè diuinæ voluntati tribuendum*

Cyprian. l. 1. epiſt. 3. *eſt, nec enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.*

Probatur ratione. III. Et verò eſſe aliquem oportet inter nos, à quo diuini iuris interpretatio pendeat, ne ſi ſit orbis abſque iudicio, cuncta ſúſque déque peſſum ruant. Nam ſi ſine Sole degi nequit, quantò minùs ſine Fide? Vnde autem illa conſtatura eſt, ſi nemo quid in vnaquaque re ſentiendum ſit, exponat? Quis ille autem? Certè *propriâ in-*

2. Pet. 1. *terpretatione non fit*, vt docet Petrus, & vt euidenter oſtenſum eſt. Vnde ergo tan-

Actor. 15. dem? *Viri Fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. Ad omnes enim pertinet* (ait Cyril-

lus) *ab eo quid credendum ac tenendum ſit accipere*. Vides rem vndique ſanciri authoritate vtriuſque Scripturæ, conſuetudine vtriuſque Legis, & vtriuſque mũdi, Eccleſiaſtici dico atque ſæcularis inſtituto ac ratione. Hinc Auguſtinus aiebat ſe *Euangelio non crediturum, niſi illum Eccleſiæ commoueret authoritas*: & loquens de actis Apoſtolorum; *Cui libro* (inquit) *neceſſe eſt vt credam, ſi credo Euangelio, quoniam vtramque Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendat authoritas*. Nota dictum, nota dicentem. Vtrumque valet ad Fidem. Nam vt rectè Ambroſius, *quamdiu portatur in aquis Petrus, curſum ſuum fluenta non perdunt*.

Citatur à B. Thomâ in opuſculo de erroribus Græcorum.

l. 1. contra Creſcon. c. 33

Ibidem.

Serm. 47.

CAPVT NONVM.

Diluuntur obiecta.

I. OBijcit inprimis Caluinus hoc modo, ſponſam ſponſo id eſt Eccleſiam verbo præponi, cùm tamen Eccleſia non ſit fundamentum, ſed ipſa fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, quod eſt verbum Dei. Reſpondeo Eccleſiam non præponi verbo, ſed præijci, tanquam ducem ad verbum, tan-

Obiectio prima.

quam antistitem veritatis, cui facem preſert, at non ipſam exiſtere veritatem. Quemadmodum enim, vt aliquid ametur, antè cognoſci quale ſit, oportet, ſed non ideo tamen amatur, quia cognoſcitur, ſed quia ipſum in ſe vtile ac bonum eſt; ſimiliter vt aliquid fide diuinâ credatur, præire quidem debet Eccleſiæ vox, ac indicare, vbi natum ſit Verbum infans; ſiue ſit inſtar Moſis in papyro, id eſt ſcriptum; ſiue ſit inſtar Chriſti, Matris in gremio, id eſt traditum, & in Eccleſiæ ſinu; ſed non tamen creditur, mentéue adoratur, niſi quia Verbum Dei eſt. Eſt igitur authoritas verbi tota cauſa credendi, at Eccleſiæ vox, eſt (vt loquimur in Scholis) conditio ſine quâ non creditur.

l. de veland. virginibus. *Hæc eſt Regula Fidei*, vt Tertul. verbo vtar, *vna omnino, ſola, immobilis & irreformabilis credendi in Deum.*

Obiectio ſecunda. II. Inſtabis hanc vocem, quæcunque ſit illa tandem, hominum eſſe, non Dei. Imò *ego dixi dij eſtis vos*. Et iterum. *Deus*

Pſ. 81. *ſtetit in Synagogâ Deorum.* Nam etſi cùm ſoli ſunt, nihil habeant amplius quàm

Pſ. 140. cæteri hominum; nihilominus *iuncti Petræ Iudices eorum*, & ipſi Petra ſunt, quia

Luc. 22. Petro dictum eſt. *Rogaui pro te, vt non*

deficiat fides tua. Et, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebant aduersùs eam.* Math. 16.
Hinc illa vox Ecclesiæ. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Denique hac in parte testimonium habemus etiam ab hoste sanè luculentum. Sic enim Lutherus lib. de potestate Papæ. *De nullo priuato homine certi sumus, habeat necne reuelationem Patris: Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitare non licet.* Vides vtramque disputationis huiusce partem ab homine definiri. Primam quâ negat ab nullo priuato securitatem aut certitudinem esse sperandam: Secundam quâ totam ab Ecclesiâ repetendam docet. Sed & Caluini sententia stat à nobis. *Veritatem* (inquit) *nobis semper constaturam securi sumus, dum in Ecclesiæ sinu continemur.* Ecce qui Patres omnes vno calculo damnat, Matrem hac vice ferus licèt absoluit. Quod enim Augustinus de Scripturâ dixit, pariter de Ecclesiâ dici potest; *admisso in tantum authoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula manebit, quæ non possit in dubium reuocari.* Act. 15. l 4. Instit. c. 4. § 3. Epist. 8. ad Hierony.

III. Vrgebis iterum nihil opus esse vt ad Ecclesiam recurratur, cùm ipsa per se Obiectio tertia.

Scriptura suâ luce fulgeat, & (vt Lutherus) *apertissima sit ipsa sui ipsius interpres.* Sed contra est. Quia (vt rectè S. Hieronymus ad illud Prophetæ) *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuâ. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos (putas) paruulos, & penè lactentes inscitiæ nocte circumdari?* Certè ne ipsi quidem diffitentur. Hæc sunt enim eorum verba. *Senserunt Apostoli Scripturas non posse intelligi sine Spiritu Sancto & interprete.* Augustinus autem ingeniorum apex sic habet. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorũ ecce ante nos superficies blãdiens paruulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Et iterum: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Et rursus, *In ipsis Sanctis Scripturis multò nescio plura quàm scio.* Ergo cùm per se nemo sufficiat; ad Ecclesiam tanquam ad interpretem legum, jurísque diuini causas euocari necesse est.

In præfat. assertionis articulorum à Leone damnatorum.

In Epist. ad Paulinum.

Centuriat. cent. l. 2. c. 4.

L. 12. Confess. c. 14.

Epist. 3.

Epist. 119. c. 21.

IV. Sed opponesad extremum de hoc ipſo Eccleſiæ foro redire quæſtionem, vtrum tu an ego ſimus in illo. Quo loco reſpondeo nos eâ de re ſequenti diſputatione controuerſuros. Nunc illud pugno ſolummodò, veritatem non à proprio cuiuſque iudicio, ſed à communi totius Eccleſiæ, tum in verbo ſcripto tum in tradito, tum in ſenſu tum in textu, ſemper & ab omnibus eſſe repetendam. Quod hactenus negaſti. Nam quòd ais periculum eſſe ne ſi traditio admittatur, humana diuinæ ſubrepat, hoc eſt ſpuria legitimæ; miror te qui hoc timeas in voce traditâ, quod non times in voce ſcriptâ; quaſi non ſit æqualis periculi non colere diuinam, ac colere non diuinam! Erit igitur, erit è prudentiâ Matris noſtrę ſic conſulere, ſic prouidere, ne quando talis inuerſio ſeu ſubſtitutio fiat. Porrò ſi ſumis Moyſen ab Hebræis, quæ tibi ſtulta religio eſt, ne Chriſtum optes à Chriſtianis? cùm tute fateare de Eccleſiâ dubitari non poſſe, veritatémque conſtare, quamdiu in eius ſinu continemur? *Quiſquis* (inquit Aug.) *falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illâ conſulat.*

Obiectio quarta.

L.1. cõtr. Creſcon. c.33.

Argumentum ab impossibilitate aliter credendi.

V. Alioqui præclusa est omnis via salutis & vitæ; quod vt clariùs intelligas, repone mulierculam in illo religionis æstu, quo paulo antè misellam exhibuimus quid faciet illa? quò recurret? ad spiritum suum, an ad tuum? ad literam, an ad sensum? exclusimus omnia. De te æquè incerta est atque de se; de textu æquè ac de sensu? Cui credet ergo? Restat omnino, restat vt ad Ecclesiæ tanquam Matris ad gremium infantis more confugiat. Hinc olim in pectore summi Pontificis inscriptæ tribus vniuersæ, quarum ipse portabat iudicium; hinc inditum eidem ad responsa reddenda scientiæ & legis oraculum; cuius à sententiis vniuersa Synagoga penderet Hinc etiam nobis à Christo præceptum vt adiretur audireturque Ecclesia, & ita audiretur, vt si quis alia sentiret, vti publicanus aut ethnicus haberetur. Hæc est, inquam, Fidei ratio, quam & ante Christum tenuere Patres, & post Christum vbique & semper, cui nos quoque inconcusso Catholicæ mentis indiscretóque iudicio subiici gaudemus. Non enim *disputant oues, sed credunt.* Neque legem damus, sed accipimus. *Inde prouecti, vnde pro-*

iecti (cum Bernardo loquor) & addo, vnde Deo ſubiecti. Res mira! Captiuitas intellectûs ipſa libertas eſt. Quia vt optimè Tertullianus; *nemo ſapiens, niſi fidelis; nemo maior, niſi Christianus; nemo autem Christianus, niſi qui ad finem vſque perſeuerauerit. Non ex perſonis Fidem probamus, ſed ex Fide perſonas.* Ep. 72. l. contr. hæretic.

CAPVT DECIMVM.

Comparantur aduerſarij cum Catholicis, & eruitur inde nouum argumentum.

I. ITaque contrariis agimur fatis. Apud nos nemo ſibi credit, quia nemo ſuus eſt: apud vos nemo non ſibi credit, quia nemo non ſibi Deus eſt; αὐταρχείαν enim prædicatis; ex quo Patres in tantum auditis, in quantum fauent; Concilia, in quantum iuuant, Eccleſiam nullo modo, Deum veſtro modo. Iam Euangelij ſenſum aut formatis aut reformatis vt libet, literam verò aut præſcribitis, aut proſcribitis, vt licet. Quid deinde? Legi legem imponitis, verbóq; Dei vos ipſos præponitis, omnia demùm errori veſtro iure atque iniuriâ componitis, & quoniã ſua ſibi quiſque lex eſt & canon, hinc *Diuerſitas Fidei Caluiniana.*

scinditur studia in contraria vulgus, hinc inexhausta diuortia sectarum apud vos, tótque in Fide viæ, quot in æde vitæ. Est qui epistolam Iacobi *stramineam* dicat, est qui Canonicam. Ille Apocalypsim recipit, hic respuit; ille Fidem solam amplectitur, hic & opera bona requirit: ille Corpus Christi adorandum in Sacramento, si præsens adsit, credit; iste præsens credit, nec adorandum credit. Denique vt in Germaniâ, quisque suo comedit more bibítque suo, sic in hæresi quisque suo credit more, colítque suo.

Causa discordiarum. II. Nam quis impedimento sit? Synodus? neque hanc curant, neque curare debent, cùm non sit regula. Euangelium? Cera est quam arbitratu fingunt suo. Fit eis verbum vermis vt manna corruptũ. Affirmant, negant, explicant, addunt adimúntque, prout furor est. Vt enim optimè Tertullianus, *Cur non liceat discipulis quod licuit magistris*, par vtrisque cùm sit audendi addendíque libertas? *A regulis suis variant inter se, dum vnusquisque suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit.*

l. contr. hæres. c. 36.

Conclusio. III. Ecce igitur qui soli verbum habere

gestiebatis, soli non habetis. Litera deest, quia aliena est; sensus verò, quia vester est; vtrumque sine fundamento, quia vtrumque sine Ecclesiæ testimonio, & quia vtrumque sine testimonio, vtrumque sine vtroque Testamento, & vos sine spe vtriusque, quia sine Fide vtriusque.

Neque hic finis tamen; aperiendum enim est vlcus, ne si lateat, non curetur. Noli interim irasci medico, dum morbo contradico, cùm officium amici sit vtilitas amissi.

IV. Ergo quia mens est totius machinæ caput, ac primus, vt ita dicam, orbis, vnde cæterorum pendeat motus: ex eo quod persuasum habeant suo sensu cuncta esse metienda, neque ferendum esse supra se quemquam, non Papam, non Regem, non Legem; ex eo (inquam) tanquam ex abrupto in deuia iugo præcipites effrænésque insanientum more rapiantur necesse est. Audi quid ipsi de suis efferant. *Homines esse multò peiores, truculentiores* (recito verba) *tenaciores, libidinosiores quàm antea vnquam in Papatu fuerint. Portenta esse quæ speciem dumtaxat humanam præ se ferant.* Hæc Lutherus, hæc ipse Caluinus. Audi quid de Patri-

Fons superbiæ.

Lutherus in Postillâ Dominicæ 1. Aduētus. Caluin. serm. 10. in epist. ad Ephesios.

In colloq. German. fol. 499.

bus antiquis. *Ego (*inquit Lutherus*) Origenem iam dudum diris deuoui. Chrysostomum nullo loco habeo. Basilius nihil valet. Totus est Monachus. Cyprianus Martyr est Theologus infirmus. Quin te, Hieronyme, conculcamus cum tuâ Bethleë cucullâ & deserto. Quid carnalius* (inquit) *quid magis impium, sacrilegum & blasphemum, quàm quod Hieronymus sentit? Virginitas cælum, coniugium terram replet. Gregorij conciones ne teruncium quidem valent. Diabolus eum in suo Dialogo crassè decepit. Fateor* (inquit Caluinus): *omnes in errorem abrepti sunt. Omnes Veteres, quorum libri existunt, aut in hac parte lapsi sunt, aut nimis asperè, &c. Peccauit antiquitas. Excusari non potest Veterum error, at ne Augustini quidem sententia. Quòd verò Hieronymus pænitentiam dixit secundam tabulam post naufragium, planè impium est, & excusari non potest.* Audi denique quid de seipsis sentiant. *Nemo* (inquit Lutherus) *quicquam nouit præter id quod à Luthero didicit. Est enim magnus Doctor supra omnes Episcopos, Presbyteros, Monachos, vt nihil curem si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent, adeo vt non sint digni soluere corrigiam calceamenti. Ego* (inquit

l.4. Instit. c.12. §.8.

l. 3. Inst. c.11. §.16.

l. 4. Inst. c.19. §.17

In Confess. German.

Caluinus) *spiritum Dei habeo, ego sum Isaias, ego Propheta; si erro, tu es Deus. Ego errare non possum.* Hæc illi de se, de Patribus, de suis.

Bolsecus in eius vitâ.

V. Ego verò ex lege argumentóque Christi non istud verbi Dei trophæum vt dictitant, sed vt res est, intolerabilem Luciferi fastum Ecclesięque supremam esse ruinam manifestè probo. *Nam à fructibus eorum* (inquit) *cognoscetis eos*, & quales rami, talis & radix. Hæc quæ reprehendîs ô Luthere, quæque calumniaris ô Caluine, sunt & præcepta Christi, sunt & exempla. Quid? nonne ille vt Hieronymus in antro? vt Basilius in arcto? nonne cælebs? nonne virginitatis antistes & author? anne pluris Sodomam facitis vbi impudicitia grassatur, quàm Bethlemicam speluncã, vbi Christus è Virgine nascitur? Nam quid sacrilegij notatur in axiomate Hieronymi, quod totũ sumptũ est à paradigmate Christi? Fierine potest, vt opus Verbi sit contrariũ verbo verbi, & aliud doceat, aliud faciat, qui cœpit facere & docere? Denique quomodo impium est & planè impium pœnitentiam dici secundam tabulam post naufragium, quam Christus pronuntiauit

Euangelio comparantur. 1. dicta.

Math. 7.

eſſe neceſſariam & planè neceſſariam
Luc. 13. poſt peccatum. *Niſi* (inquit) *pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Viden vt ex eâ quam impiam prædicatis, exiſtat omnis ſalus, & ſine eâ nulla ſit ſalus?

2. Perſona. VI. Iam verò à cenſuris ad cenſores feror. Vos, Prophetę Dei? Vos Apoſtoli? vos verbi Dei præſtites & præcones? ſcilicet? ſi habetis verbum Verbi, quomodo non habetis opus Verbi? ſi veritatem, quare non viam? quare non vitam? cùm ipſe dicat, *Ego ſum via, veritas & vita.* Diuiſus eſt Chriſtus? Diuiſum eſt verbum, vt aliud ſit in ſe, aliud in vobis? Nam in Chriſto nihil eſt humilius; *Diſcite* (inquit) *à me quia mitis ſum & humilis corde*; in vobis nihil inflatius: vt mille Auguſtini non ſunt digni ſoluere corrigiam calceamenti veſtri. In Chriſto nihil pudicius, qui Caſtitatem & ſuadet omnibus & præſtat ſibi. In vobis nihil impudicius, qui & votum eiuſdem infringitis, & ab omnibus in-
l. de pœnit. c. 10. fringi cupitis. *Semetipſos* (inquit Tertul.) *execrantur quia benefecerint, eámque maximè pœnitentiæ partem, quæ bonis operibus irrogatur, in corde figunt.* In Chriſto nihil eſt

est subiectus. *Erat* (inquit) *subditus illis.* Nempe vtrique parenti. Contrà in vobis nihil perduellius, qui nec Matrem, nec Patres auditis. Ibi inter hostium conuitia semper silens, hîc inter silentia nostra dicacissimum; ibi plenum charitate, hîc odio; ibi patitur necem, & Martyr est, hîc infert & tyrannus est. Dat sanguinem; vos effunditis, omnia sustinet, omnia violatis.

VII. Dicite per Deum immortalem, expromite aliquando, quæ sit ista vel ex spinis vua, vel ex vuis spina collecta? Quomodo (inquam) aut ex verbo Dei nascatur opus Diaboli? aut ex opere Diaboli verbum Dei? O furorem hominum incredibilem? si prouocamus ad Patres, blasphemi sunt, sacrilegi sunt. *Diabolus eos crassè decepit; excusari non possunt.* Si ad Concilia, etiam Apostolica; non sunt (inquit) audienda. Quid ita? Graue ab illis imminet malum. Quod illud? *Lucanicas prohibent & suffocata.* Si ad exempla recurrimus, etiam Christi; exclamant, Verbo ducimur, non exemplo: Si ad rationem; prudentia carnis est inimica Christi; ad quem ergo ibimus? ad me. *Ego Spiri-*

Vrgentur.

Luth. l. de conciliis.

tum Dei habeo, ego sum Apostolus, ego Isaias, ego errare non possum. Hoc tantum. Oraculi responsum est: hic terminus esto. Postremò mihi tanquam Euangelio credendum, imò si Euangelium dicat; *hoc est corpus meum*, ego contrà; hoc non est corpus meum: si meritum operum requirat, ego contrà fidem solam; Euangelio bellum indicatur, ne mihi vel apice tenus contradicatur. At vbi miracula? vbi virtutes? nihil horum necesse est. Verbo Dei nitor. Vnde credam? Ex hoc ipso quod dico me niti. En causa, en causę firmamentum. Ego propterea ordinis mei claustra perfregi, ego inter Saxones virginem ab aris gremióque Dei subreptam mihi per incestum sociaui. Ego in Lemani lacu Matronas: aliam à fide coniugis abduxi, aliam astu tentatam vrbe cedere coëgi. Ego in Germaniâ belli facem accendi; ego in Franciâ populos contra Regem armaui, cunctáque cæde compleui. Hæc sunt miracula nostra, hęc Ecclesię authoramenta reformandę. O nouum Euangelij propagandi genus!

Bolzecus in vitâ Caluini. Nobilis cuiusdam vxor iuuencula, blandula, eleganti forma, &c.

CAPVT VLTIMVM.

Concluditur Disputatio.

I. ET tu, ô bone vir, cui iam dudum operam loco, hæc vt effata, probéque conclusa feres æquanimiter? Næ te omnium hominum longè imprudentissimum caput, si hoc animo es! Vidisti enim, si me, si te vigil audisti, vidisti vos neque omni verbo, neque vlli omnino credere; non tradito, quia non recipitis, & hoc iniustissimè, vt euici; non scripto, quia malè recipitis, datis enim legem, non accipitis, & hoc superbissimè, vt ostendi; inde pestem, inde primam mali labem tanquam ex ouo, & hoc peruersissimè, vt conclusi. Vidisti præterea nos omni solíque verbo credere, & hoc syncerissimè, quia sic vnius authoritati subiacemus, vt non quid præcipiatur, sed quis præcipiat, vnicè spectemus. Ad id autem Ecclesiam esse ducem ac magistram, quam audimus, & hoc fidelissimè, quia datæ sunt ei claues regni cælorum. *Clauem Petri Fidem dixerim Petri duodecim artificum operatione conflatam*, inquit Ambros.

Anacephaleosis.

Ambros. de Eliæ ieiun. c. vlt.

Peroratio. II. Nunc in hac re tanta, quanta nulla est, & ex quâ vnâ sint immensæ æternitatis arbitria momentáque suspensa, si qua lux restat, nonne te angi summopere oportet, vt securam tibi viam ad salutem aliquando communias? Nam si vtrumque fundamentum scriptæ & traditæ Dei vocis ædificio Fidei tuę desit, quid infœlix porrò superstrues? Aut quam partem habebis in hæreditate Christi positus in parte, separatus à toto? & quomodo audiet vocem tuam, qui vocem eius non audis? nisi fortè dimidiatam, & adhuc non qualem à Magistro accepimus, sed qualem à Ministris proponi placet sensu & textu.

Obiectio. III. Ais anathemate Pauli te percelli in eos qui traditionibus attendunt humanis. Itane? planè tu qui caues, etiam cùm caues, non satis caues; & hîc duo peccata committis immania: Alterum quòd traditionem diuinam tractes vt humanam. Alterum quòd verbum Dei repræsentes sibi ipsi contrarium, & cùm times ne plusquam opus est, adiiciatur, non times ne plusquam oportet, abiiciatur. Non quærimus, vt præterquàm id quod euangelizatum est aut scriptum

credas, ſed quærimus vt & quod ſcriptum eſt, benè credas, & quod traditum eſt, credas & colas; ſiquidem de ouibus vis eſſe Chriſti, quæ vocem eius audiunt & ſequuntur. Vno verbo ſcito & vide aut te in hanc ſententiam concurrere mecum oportere, vt omni verbo Dei, ſoli ſempérque te credas, aut vt nihil omnino credas; téque inſuper in æternum perdas; quod auertat Deus.

Teſtimonia Patrum de Traditione.

Dionyſius Areop. an. 100.
De Eccleſiaſt. Hierarch. c. 1.

NEceſſariò itaque primi illi noſtri Sacerdotalis muneris duces, cùm ex ſummâ ſuperſubſtantialique Deitate ipſi ſancti muneris plenitudinem percepiſſent, & idipſum deinceps proferre & propagare à diuinâ bonitate miſſi eſſent, ipſíque poſteros ad diuina prouehere affatim cuperent, viſibilibus ſignis cæleſtia Sacramenta texerunt; atque in iis, quæ nobis ſunt familiaria, ſumma illa & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis (iuxta quod ſacræ definiunt leges) nobis tradiderũt.

Irenæus. an. 180.

L. 3. c. 4.

Tantæ igitur ostensionis cùm sint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere: cùm Apostoli quasi in depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis. Hic est enim vitæ introitus. Quid autem si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis? &c. Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum crediderunt, sine chartâ & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.

Origenes. 240.

In cap. 6. Epist. ad Roman.

Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis Baptismum dare.

Euseb. Cæsarienſ. 320.

L. 1. demonstr. Euang. c. 8. & iterum contra Marcellum Episcopum Ancyranum.

Ecclesia à finibus terræ vsque ad fines, di-

uinæ Scripturæ testimonia ex non scriptâ traditione confirmat.

Basilius Magnus. 370.

De Spiritu S. c. 27.

Dogmata quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è doctrinâ scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio id est in occulto tradita. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multùm habentes momenti conemur reÿcere; imprudentes & ea damnabimus (nota) *quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur; imò potiùs ipsam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.*

Et Homil. 28. contra Sabellium Arium & Anomæos.

At ne Spiritum Sanctum à Patre & Filio separes, absterreat te Dominica traditio.

Et Epist. 61.

Dogmata Patrum contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inuenta Ecclesiis inseruntur.

Epiphanius. 380.

Hæreſ. 55.

Termini nobis poſiti ſunt & fundamenta, & ædificatio Fidei & Apoſtolorum traditiones, & Scripturæ Sanctæ, & ſucceſsiones doctrinæ.

Hæreſ. 61.

Oportet autem & traditione vti; non enim omnia à diuinâ Scriptura poſſunt accipi. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderũt. Quemadmodum dicit S. Apoſtolus, ſicut tradidi vobis.

Et Hęreſi 69.

Reſpondete nobis Arij diſcipuli: ingenitum dicimus omnes ſimul Patrem, & eſt admirabilis dictio. Vbi ſcripta ſit, oſtendite.

Cyrillus Alex. 430.

Homil. 8.

Traditionem Eccleſiæ tanquam theſaurum quendam in penetrali cordis recondens amplectere.

Ex Latinis. Tertull. 200.

C. 3. de Coronâ militis.

Quæramus an & traditio non ſcripta non debeat recipi? Deinde probat recipien-

dã & confirmat exemplis formę Baptiſmatis qua Ecceleſia vtitur ter mergendo; & oblationũ pro defũctis,&c. *Harum* (inquit) *& aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullã inuenies; traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & Fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, Fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces, &c. His exemplis renuntiatum erit poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſeruatione defendi, confirmatam conſuetudine, idonea teſte probatæ tunc traditionis ex perſeuerantia obſeruationis. Conſuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex; nec differt, Scripturâ an ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendet.*

Cyprian. 250.

Epiſt. 13. l. 2.

Admonitos nos ſcias, vt in Calice offerendo Dominica traditio ſeruetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, miſtus vino offeratur.

Pacian. 380.

Epist. ad Sympronian. Nouatianum.

Quid? Parua nobis de Apostolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de Beatißimo Cypriano Martyre & Doctore currit authoritas? An volumus docere Doctorem? &c.

Hieronymus. 390.

Dialog. aduer, Luciferianos. c. 4.

Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt

August. 400.

Ad inquisitiones Ianuarij l. 1. c. 1.

Illa quæ non scripta, sed tradita custodîmus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariys Conciliys, quorum est in Ecclesiâ saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.

Thomas VValdensis. 1410.

Doctrinalis Fidei l. 2. art. 2. c. 19.

Quæritur à quibusdam : quæ est illa Ecclesia quam docemus in materiâ Fidei definire? Nunquid Clerus? aut Prælati Ecclesiæ, vel ipsorum Ecclesiæ in congregatis Concilijs? Sed hos omnes frequenter errasse cognoscimus. Quæ est ergo Ecclesia quæ non potest deficere? Quòd si sit hæc vniuersalis Ecclesia, quis ipsam totam simul adire potest, vt interroget?.... Ad hoc dubium iterum videamus praxim Apostolorum in determinando suum articulum. Scriptura enim dixit: quoniam cùm magna conquisitio fieret surgens Petrus dixit: Vos scitis..... Ita nempe in dubijs Fidei debemus inquirere quid senserunt Apostoli, quid successores Apostolorum, & deinceps viri probati. Quid sit Ecclesia.

Ioannes de Turrecremata. 1450.

In summâ de Ecclesiâ l. 4. part. 2. c. 9.

Doctrina assertiuè posita & nunquam aliàs retractata, ab omnibus fidelibus firmâ credulitate tenenda in eâ parte in quâ ab vniuersali Ecclesia recepta est: aliàs vniuersalis Ecclesia videretur errasse approbando. Quid sit traditio de fide.

Philippus Melancthon.

Epist. ad Ioan. Cratonem.

Optimi Magistri atque duces nobis esse possunt Irenaus, Tertullianus, Augustinus, &c.

Martinus Lutherus.

In Disput. Lipsicâ.

Submitto me iudicio & determinationi Sancta Ecclesia, & omnibus melius sentientibus.

DISPVTATIO QVARTA.

De Ecclesiâ Matre.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum & eiusdem partitio.

I. ETsi proximæ Disputationis acri ratiocinatione planè conclusum arbitror, verbi Dei, cùm literam, tum multò magis sensum ab Ecclesiæ Matris oraculo peti oportere: tamen quia repugnas adhuc, sentísque non ab illâ verbum, sed ab hoc illam potius esse repetendam; (dicis enim vnicam Ecclesiæ notam esse verbum) existimaui me operæ pretium esse facturum, eâ de re, quæ summa est, si seorsim accurata disserendi ratio texeretur. Quam mihi videbor prorsus attigisse, si duo confecero. Primum est, vt manifestum omnibus fiat, *Distributio.*

quæ ſit illa è millibus electa Sponſa, cuius vnius in ſinu ſalus omnium fidéſque conquieſcat; *Mater noſtra Hieruſalem, firmamentum veritatis, & columna*, extra quam non ſit cuiquam ſpei locus. *Neque enim habebit Deum Patrem* (inquit Aug.) *qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.* Ad hoc vt certi denique ſtatuantur fines, certæque inueſtigandi veri notæ, quibus ad eam ſine litigio poſſidendam tutiſſima via muniatur. Alterum eſt, vt conſtitutis eiuſcemodi notis, omnium oculis exponatur, qui ſint è liberâ liberi, ex ancillâ ſerui, ex adulterâ nothi. Sítne, vt conuitio iactatis, Eccleſia Romana monſtrum illud ex Apocalypſi horrendum & informe, beſtia maior, cui reformandæ vos incredibili zelo, quanquam parum fœlici, neque ſatis ſecundùm ſcientiam, iam dudum incumbitis. Sítne contrà, veſter ille grex Euangelicus, ad amuſſim nouæ Legis exactè compactus, atque omnibus, vt gloriamini, numeris abſolutus?

c. 4. Symbol.

II. Hæc autem facilius vti conſequar, primùm quæ dicitis referam & refellam, deinde quæ aſſerimus, pari facilitate retexam. Sic enim res longè manifeſtior

Prudentia veri Chriſtiani.

euadet confutatione falsi, veríque confirmatione. Est autem prudẽtię tuę, diligenter ea quę discutientur, expendere, vt quę tibi sit mater, agnoscas; eámque desertâ falsâ nutrice sequare. Nam hęresis est, vt *perdix; fouit quæ non peperit, fecit diuitias & non in iudicio* (oua scilicet aliena suffurata) *in dimidio dierum suorum, derelinquet eas, & in nouißimo suo erit insipiens,* hoc est deseretur à pullis non suis, qui ad vocem verę matris illicò conuolabunt. Eâ spe fretus ad hoc opus accingor. Ierem. 17.

PARS PRIMA.

Quæ sint, & quæ non sint Ecclesiæ Notæ.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd verbum Dei non sit Ecclesiæ nota, neque Sacramentorum rectus vsus.

I. INprimis, vt à vobis initium ducam, miror hîc astutę vulpis effugia, miror ambages. Scifcitanti quippe, vbi sit Ecclesia Dei respondetur in verbo Dei, *hoc medium, hæc regula, hæc vnica infallibilísque nota.* Interroganti VVitakerus.

poſtmodùm vbi ſit verbum Dei, acclamatur vndique, in Eccleſiâ Dei. *Hinc veritatis ſecuritas, hinc firmitudo mentis, de hac vnâ certi ſumus.*

Calu. Luth. vbi ſupra.

Circulus vitioſus.

Ecce per Eccleſiam itur ad verbum, & per hoc ad illam, itinere reuerſorio, viciſſim, & in circulum minimè liberalem. Ego verò tanti myſterij rudis, non capio quâ ratione ſit idem ſui principium & meta, cauſa & effectus: vereórque, ne dum ſeris huiuſmodi notas, metas tu denique notos. Nam ſi per Eccleſiam itur ad verbum, & rurſus per verbum ad Eccleſiam, retro flectitur ipſum in ſeſe verbum, ac per vterum, vt ita dicam, Eccleſiæ impingitur atque occurrit ſibi.

Quæſo te, attende quid dicam, dum quæro quid inueniam tibi mihíque. Nonne ſi rogem vnde tu, vnde muliercula, de quâ nuper agebamus, poſſit eſſe ſecura ſe verbi veritatem habere; reſpondes, ex eo quod Eccleſiæ ſinu continetur. Ita Caluinus 4. Inſt. c. 4. §. 3. Ita Theodorus Beza l. de notis Eccleſiæ, vbi eam *Chriſti Scholam, in quâ verbum diſcendum ſit vt rectè intelligatur.* Ita Molinæus l. contra Cardinalem Perronium c. 1.

Rurſus

Rurſus ſi requiram, vnde tu vel illa norit ſe hoc ſinu contineri? ſubjicis ex notitiâ verbi, quæ eſt nota notiſſima veri. Ita Lutherus. *Vnica* (inquit) *perpetua & infallibilis Eccleſiæ nota fuit ſemper verbum.* Ita Caluinus. Ita Vitakerus, Alſtedius & cæteri. Ergo verbum habes, quia Eccleſiam habes, & Eccleſiam habes, quia verbum habes, & in ſummâ nihil niſi verbum habes, hoc eſt ſonum, hoc eſt ventum, hoc eſt inanem ex hac notâ notum, & quod ſequitur, impurũ ex hac fide Nothum. Nam ſi tibi non eſt Eccleſia mater, niſi ex verbo quod incertum eſt, ex incerto patre, nõ naſcitur niſi Nothus.

Tom. 4. fol. 71.

Lib. 4. Inſt. c. 1. §. 9.

II. At certum eſt (inquis.) Quęro vnde? Repone te vel illam iterum rudem imperitámque mulierculam inter pugnantium pro verbo cuneos. Ibi dicant omnes, vt tu. Meum eſt verbum, quia Eccleſia mea eſt, & Eccleſia mea eſt: quia meum eſt verbum. Quid tibi videtur? Non demorſos ſapit vngues hoc tam argutum támque ſubtile ratiocinandi genus, quo lubricę more ſerpentis à caudâ recurritur ad caput, & à capite rurſus ad caudam, & nunquã ad cauſam?

Vrgentur.

Eccleſiam infers ex verbo, verbum ex

Ecclesiâ: ego vero peto, vndè vtrumque? & vtrum vtro prius? vtro (inquam) contendas? primo ex secundo, an secundo ex primo. Vis ab Ecclesiâ? Ita quidem (inquis) *ibi discitur. Hæc Christi Schola.* Bene habet. Accipio responsum. At vnde Scholam hanc petam? Mones ex rectâ verbi prædicatione, seu ex puritate doctrinæ. Argutè. Placet concinnitas. At vnde rectam verbi prædicationẽ inter tot errantes? vnde literam? vnde sensum? vnde certitudinem vtriusque, talem ac tantam, vt securus sim? an rursus ex Ecclesiæ Scholâ? Hæc quæritur, & dum quæritur, assignas verbum, & hoc etiam quæritur, & dum quæritur, assignas Ecclesiam. Itaque in circulum itur; ab Ecclesiâ ad verbum, à verbo ad Ecclesiam. At rogo viam ad illã, locum, signum, notam expostulo. Quam das? quam affers? exprome. *Vbi erit* (inquit Tertullianus) *finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? ero itaque nusquam, dum vbique conuenior.* Omnino necesse est, vt alterutrum aliunde lucem quàm ab alterutro mutuetur.

L. contr. Hæres. c. 10.

Verbum non est Ecclesiæ nota.

III. Ac verbum quidem Ecclesiæ nota neque est, neque potest esse, cùm ipsum

ſit obſcurius. Oportet autem notam eſſe notiorem. Imò cùm impoſſibile ſit, vt latè probaui, verbi literam aut ſenſum conſtare nobis aliâ viâ, quàm ipſius Eccleſiæ teſtimonio ac traditione (nam ſine hac, nulla planè, nulla Scriptura eſt, vt oſtendi:) reſtat, vt optimi Patris vtrumque Teſtamentum à Matre cui relictum eſt, enixè petatur. Quemadmodum ſi quis ab ignoto Rege literas & & mandata deferat, aut ſi quis à Deo Moyſes occurrat Pharaoni; primùm probare debebit, an reuera ſit miſſus, & à quo; non enim aliter fidem faciet, ac nequicquam verba Dei mináſue Regis intendet, niſi conſtiterit antè, qui ſit & vnde ſit. Quòd ſi dicas literis Regiis id probatum iri: At ego inſtabo literas Regias antè probandas, quàm vt quicquam per ipſas probari poſſit. De literis enim, ſeu de verbo Fidei, vt oſtendi, prima quæſtio erit. Vnde Moyſes aiebat: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent; Non apparuit tibi Dominus.* Quare ſignis eum Deus talibus inſtruxit, vt à nemine quis & vnde veniſſet, ignorari potuerit. Similiter Apoſtoli cùm ſe miſſos à Deo dicerent, id eos miraculis vndiq; prodigiiſ- Exod. 4.

Pacian. 380.

Epist. ad Sympronian. Nouatianum.

Quid? Parua nobis de Apostolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de Beatißimo Cypriano Martyre & Doctore currit authoritas? An volumus docere Doctorem? &c.

Hieronymus. 390.

Dialog. aduer, Luciferianos. c. 4.

Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt

August. 400.

Ad inquisitiones Ianuarij l. 1. c. 1.

Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesiâ saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri.

Thomas VValdensis. 1410.

Doctrinalis Fidei l. 2. art. 2. c. 19.

Quæritur à quibusdam : quæ est illa Ecclesia quam docemus in materiâ Fidei definire? Nunquid Clerus? aut Prælati Ecclesiæ, vel ipsorum Ecclesiæ in congregatis Concilijs? Sed hos omnes frequenter errasse cognoscimus. Quæ est ergo Ecclesia quæ non potest deficere? Quòd si sit hæc vniuersalis Ecclesia, quis ipsam totam simul adire potest, vt interroget?.... Ad hoc dubium iterum videamus praxim Apostolorum in determinando suum articulum. Scriptura enim dixit: quoniam cùm magna conquisitio fieret surgens Petrus dixit: Vos scitis..... Ita nempe in dubijs Fidei debemus inquirere quid senserunt Apostoli, quid successores Apostolorum, & deinceps viri probati. Quid sit Ecclesia.

Ioannes de Turrecremata. 1450.

In summâ de Ecclesiâ l. 4. part. 2. c. 9.

Doctrina assertiuè posita & nunquam aliàs retractata, ab omnibus fidelibus firmâ credulitate tenenda in eâ parte in quâ ab vniuersali Ecclesia recepta est : aliàs vniuersalis Ecclesia videretur errasse approbando. Quid sit traditio de fide.

Philippus Melancthon.

Epist. ad Ioan. Cratonem.

Optimi Magistri atque duces nobis esse possunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, &c.

Martinus Lutherus.

In Disput. Lipsicâ.

Submitto me iudicio & determinationi Sanctæ Ecclesiæ, & omnibus melius sentientibus.

DISPVTATIO QVARTA.

De Ecclesiâ Matre.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum & eiusdem partitio.

I. ETSI proximæ Disputationis acri ratiocinatione planè conclusum arbitror, verbi Dei, cùm literam, tum multò magis sensum ab Ecclesiæ Matris oraculo peti oportere: tamen quia repugnas adhuc, sentísque non ab illâ verbum, sed ab hoc illam potius esse repetendam; (dicis enim vnicam Ecclesiæ notam esse verbum) existimaui me operæ pretium esse facturum, eâ de re, quæ summa est, si seorsim accurata disserendi ratio texeretur. Quam mihi videbor *Distributio.* prorsus attigisse, si duo confecero. Primum est, vt manifestum omnibus fiat,

quæ sit illa è millibus electa Sponsa, cuius vnius in sinu salus omnium fidésque conquiescat; *Mater nostra Hierusalem, firmamentum veritatis, & columna*, extra quam non sit cuiquam spei locus. *Neque enim habebit Deum Patrem* (inquit Aug.) *qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.* Ad hoc vt certi denique statuantur fines, certæque inuestigandi veri notæ, quibus ad eam sine litigio possidendam tutissima via muniatur. Alterum est, vt constitutis eiuscemodi notis, omnium oculis exponatur, qui sint è liberâ liberi, ex ancillâ serui, ex adulterâ nothi. Sítne, vt conuitio iactatis, Ecclesia Romana monstrum illud ex Apocalypsi horrendum & informe, bestia maior, cui reformandæ vos incredibili zelo, quanquam parum fœlici, neque satis secundùm scientiam, iam dudum incumbitis. Sítne contrà, vester ille grex Euangelicus, ad amussim nouæ Legis exactè compactus, atque omnibus, vt gloriamini, numeris absolutus?

c.4. Symbol.

Prudentia veri Christiani.

II. Hæc autem facilius vti consequar, primùm quæ dicitis referam & refellam, deinde quæ asserimus, pari facilitate retexam. Sic enim res longè manifestior

euadet confutatione falsi, veríque confirmatione. Est autem prudẽtię tuę, diligenter ea quę discutientur, expendere, vt quę tibi sit mater, agnoscas; eámque desertâ falsâ nutrice sequare. Nam hęresis est, vt *perdix; fouit quæ non peperit, fecit diuitias & non in iudicio* (oua scilicet aliena suffurata) *in dimidio dierum suorum, derelinquet eas, & in nouißimo suo erit insipiens,* hoc est deseretur à pullis non suis, qui ad vocem verę matris illicò conuolabunt. Eâ spe fretus ad hoc opus accingor. Ierem. 17.

PARS PRIMA.

Quæ sint, & quæ non sint Ecclesiæ Notæ.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd verbum Dei non sit Ecclesiæ nota, neque Sacramentorum rectus vsus.

I. INprimis, vt à vobis initium ducam, miror hîc astutę vulpis effugia, miror ambages. Sciscitanti quippe, vbi sit Ecclesia Dei respondetur in verbo Dei, *hoc medium, hæc regula, hæc vnica infallibilísque nota.* Interroganti VVitakerus.

postmodùm vbi sit verbum Dei, acclamatur vndique, in Ecclesiâ Dei. *Hinc veritatis securitas, hinc firmitudo mentis, de hac vnâ certi sumus.*

Calu. Luth. vbi supra.

Circulus vitiosus.

Ecce per Ecclesiam itur ad verbum, & per hoc ad illam, itinere reuersorio, vicissim, & in circulum minimè liberalem. Ego verò tanti mysterij rudis, non capio quâ ratione sit idem sui principium & meta, causa & effectus: vereórque, ne dum feris huiusmodi notas, metas tu denique notos. Nam si per Ecclesiam itur ad verbum, & rursus per verbum ad Ecclesiam, retro flectitur ipsum in sese verbum, ac per vterum, vt ita dicam, Ecclesiæ impingitur atque occurrit sibi.

Quæso te, attende quid dicam, dum quæro quid inueniam tibi mihíque. Nonne si rogem vnde tu, vnde muliercula, de quâ nuper agebamus, possit esse secura se verbi veritatem habere; respondes, ex eo quod Ecclesiæ sinu continetur. Ita Caluinus 4. Inst. c. 4. §. 3. Ita Theodorus Beza l. de notis Ecclesiæ, vbi eam *Christi Scholam, in quâ verbum discendum sit vt rectè intelligatur.* Ita Molinæus l. contra Cardinalem Perronium c. 1.

Rursus

Rursus si requiram, vnde tu vel illa norit se hoc sinu contineri? subjicis ex notitiâ verbi, quæ est nota notissima veri. Ita Lutherus. *Vnica* (inquit) *perpetua & infallibilis Ecclesiæ nota fuit semper verbum.* Ita Caluinus. Ita Vitakerus, Alstedius & cæteri. Ergo verbum habes, quia Ecclesiam habes, & Ecclesiam habes, quia verbum habes, & in summâ nihil nisi verbum habes, hoc est sonum, hoc est ventum, hoc est inanem ex hac notâ notum, & quod sequitur, impurũ ex hac fide Nothum. Nam si tibi non est Ecclesia mater, nisi ex verbo quod incertum est, ex incerto patre, nõ nascitur nisi Nothus.

Tom. 4. fol. 71.

Lib. 4. Inst. c. 1. §. 9.

II. At certum est (inquis.) Quęro vnde? Repone te vel illam iterum rudem imperitámque mulierculam inter pugnantium pro verbo cuneos. Ibi dicant omnes, vt tu. Meum est verbum, quia Ecclesia mea est, & Ecclesia mea est: quia meum est verbum. Quid tibi videtur? Non demorsos sapit vngues hoc tam argutum támque subtile ratiocinandi genus, quo lubricę more serpentis à caudâ recurritur ad caput, & à capite rursus ad caudam, & nunquã ad causam? Ecclesiam infers ex verbo, verbum ex

Vrgentur.

Ecclesiâ: ego vero peto, vndé vtrumque? & vtrum vtro prius? vtro (inquam) contendas? primo ex secundo, an secundo ex primo. Vis ab Ecclesiâ? Ita quidem (inquis) *ibi discitur. Hæc Christi Schola.* Bene habet. Accipio responsum. At vnde Scholam hanc petam? Mones ex rectâ verbi prædicatione, seu ex puritate doctrinæ. Argutè. Placet concinnitas. At vnde rectam verbi prædicationẽ inter tot errantes? vnde literam? vnde sensum? vnde certitudinem vtriusque, talem ac tantam, vt securus sim? an rursus ex Ecclesiæ Scholâ? Hæc quæritur, & dum quæritur, assignas verbum, & hoc etiam quæritur, & dum quæritur, assignas Ecclesiam. Itaque in circulum itur; ab Ecclesiâ ad verbum, à verbo ad Ecclesiam. At rogo viam ad illã, locum, signum, notam expostulo. Quam das? quam affers? exprome. *Vbi erit* (inquit Tertullianus) *finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? ero itaque nusquam, dum vbique conuenior.* Omnino necesse est, vt alterutrum aliunde lucem quàm ab alterutro mutuetur.

L. contr. Hæres. c. 10.

Verbum non est Ecclesiæ nota.

III. Ac verbum quidem Ecclesiæ nota neque est, neque potest esse, cùm ipsum

ſit obſcurius. Oportet autem notam eſſe notiorem. Imò cùm impoſſibile ſit, vt latè probaui, verbi literam aut ſenſum conſtare nobis aliâ viâ, quàm ipſius Eccleſiæ teſtimonio ac traditione (nam ſine hac, nulla planè, nulla Scriptura eſt, vt oſtendi:) reſtat, vt optimi Patris vtrumque Teſtamentum à Matre cui relictum eſt, enixè petatur. Quemadmodum ſi quis ab ignoto Rege literas & & mandata deferat, aut ſi quis à Deo Moyſes occurrat Pharaoni; primùm probare debebit, an reuera ſit miſſus, & à quo; non enim aliter fidem faciet, ac nequicquam verba Dei mináſue Regis intendet, niſi conſtiterit antè, qui ſit & vnde ſit. Quòd ſi dicas literis Regiis id probatum iri: At ego inſtabo literas Regias antè probandas, quàm vt quicquam per ipſas probari poſſit. De literis enim, ſeu de verbo Fidei, vt oſtendi, prima quæſtio erit. Vnde Moyſes aiebat: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent; Non apparuit tibi Dominus.* Quare ſignis eum Deus talibus inſtruxit, vt à nemine quis & vnde veniſſet, ignorari potuerit. Similiter Apoſtoli cùm ſe miſſos à Deo dicerent, id eos miraculis vndiq; prodigiiſ-

Exod. 4.

que comprobare tantis, támque crebris oportuit, vt discredi sine summâ temeritate non posset. Ergo, quoniam Ecclesia nobis à Deo data est, à quâ literas eius accipere debemus, à quâ mandata vitæ
Exod. 28. & salutis haurire, *Gestabit* (inquit) *Aaron iudicium filiorum Israël*, & in Euange-
Luc. 22. lio; *Rogaui Petre pro te, vt non deficiat Fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, &c.*) insignienda est huiusmodi notis, vt appareat omnibus magnum illud & mirabile signum in cælo, *Mulier* nimirum *amicta sole*.

Ecclesia omnibus clara ac conspicua.

IV. Ergo cùm sit arbitra legum atque doctrinæ, claram eam ac conspicuam omnibus oportebit esse, non, vt vultis, ignotam aut inaspectabilem. Cui enim foret vsui, si sub modio, si non in monte, si non in sole? Quos illa reget, quósue corriget in *ædificationem corporis Christi*, si nec conueniri potest, nec conuenire? Vbi Ethnicus, vbi Paganus illam non audiens, si audiri, si adiri nequit? *Quomo-*
Isa. 60. *do portæ eius*, secundum Isaiam, *aperientur iugiter die ac nocte? quomodo ad eam, fortitudo gentium, & Reges earum venire possunt, si inuisibilem inuenire non possunt?* Apage hæc mentis insanæ deliria. Est ci-

nitas ſupra montem poſita, quæ abſcondi nequit; eſt lucerna ſuper cãdelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt: eſt Tabernaculum in ſole, hoc eſt *in manifeſtatione, & non in occulto poſitum*, vt explicat Auguſtinus. Epiſt.166 Neque id ſanè abnuunt tui, ſi quando ſapiunt, aut certè reſipiſcunt. Lege Caluinum l. 4. Inſt. c. 10. lege Molinæum l. 1. contra Cardinalem Perronium. c. 2. lege VVitakerum Controuerſ. 2. q. 5. c. 18. Danæum, Pleſſæum, &c. Quòd ſi cadit illa ſub ſenſum, vt cadere debet, nimirum id fiet per notas inſignes, quæ ſoli ſempérque conueniant. Non enim aliter dignoſceretur, & nos in gyrum rurſus, vt impii, reuolueremur tam inani labore, quàm immani labyrinto.

Rectum Sacramentorum vſum non eſſe notam Eccleſiæ.

V. Neque dicas poſſe intelligi ex recto Sacramentorum vſu, quia cùm recto regula ſit prior, & rectum habere non poſſis Sacramentorum vſum, niſi per verbum rectè intellectum, vt fateris, (*accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum*) Aug. relaberemur ab Eccleſiâ ad verbum, & rurſus quæreremus verbum per verbum, nec haberemus nouam in verbo Sponſam, ſed nouam in

rotâ rotam, cùm hic vſus non liqueat, de quo diſputant omnes, ſicuti de verbo. Vnde enim probabis mihi tuum aut vſum aut numerum Sacramentorum, niſi quia talem, vt putas, Scriptura deſignat? Prius ergo de Scripturâ debes certus eſſe, déque eius ſenſu. Atqui neutrum poteſt haberi ſine teſtimonio Eccleſiæ, vt probaui; ergo neque ille numerus aut vſus. Vnde patet aliunde inueſtigandam à nobis.

CAPVT TERTIVM.

Quæ ſint Eccleſiæ Notæ, & vnde petendæ.

Petantur primo à Scripturâ.

I. QVod vt dilucidius fiat, puta duas Eccleſias, noſtram dico & veſtram, veluti duas apud Salomonem matres, pro infantis viui, hoc eſt pro verbi vitæ poſſeſſione litigio eſſe commiſſas. Illa dicit: Meus eſt; iſta dicit: Meus eſt; ambo dicimus; Meus eſt: vnde tuus, vnde meus? Afferatur gladius Salomonis, & ſic proferatur Sponſa Saluatoris, Mater ſalutis, vt intelligatur qualis ſit ex dilecto dilecta, ex Sponſo Redemptore Sponſa mirabiliter redempta. Et quis ille gladius Salomonis, niſi viuus ſermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti?

Sed (inquies) si sermo Dei gladius est quo discernitur vera Mater à falsâ, ergo verbo Dei petitur vera Mater, hoc est Ecclesia, & sic in circulum nosmetipsi recidimus, à quo antè abhorrebamus. Siquidem Eclesiã per Scripturam probamus, qui Scripturã ex Ecclesiâ quærimus. Sed noli timere; non enim verbum Ecclesiæ notam esse dicimus, sed tantùm qualis debeat esse hæc nota, per verbum explicamus. Sicut etsi cubiculum à lucernâ peti non possit, sed aliunde debeat haberi; tamen ipsa cubiculum quale sit, ostendit. Item etsi legationem suam nuntius aliunde, quàm ex epistolâ probat; tamen epistola, qualis sit ipsa legatio, planè declarat. Similiter Ecclesiæ signa notæque, licèt anteire verbo debeant, ac eidem quodammodo prælucere atque præferri; tamen à verbo qualia sint, ostenduntur. Audiatur ergo Sponsus qui descripsit, & amicus Sponsi, qui rescripsit. *Vna est* (inquit Sponsus) *amica mea, decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata*; vnam dicit, eandémque pulchram & fortem sicut Hierusalem; quod explicat amicus Sponsi in hunc modum. *Vidi* (inquit) *sanctam Ciuitatem, Hierusa-*

Occurritur difficultati.

Cant. 6.

Apoc. 21.

lem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut Sponsam, ornatam viro suo: vel
Isai. 61. vt Isaias, *ornatam monilibus suis.* Quibus? Expone. *Apparuit signum magnum in cælo.* Apparuisse dicit, vt longè latéque conspicuam; in cælo, quia è cælo; amictam Sole, hoc est Sponsi radiis coruscantem; Lunam sub pedibus eius, fortunâ nempe mundíque persecutione ac vicissitudine maiorem. Duodecim in capite stellis, hoc est duodecim fulgentibus notis insignem, vnitate, origine, antiquitate, sanctitate, doctrinâ, efficaciâ, concordiâ, imperio, ordine, successione, miraculis, vitæ rerúmque splendore. Talis enim decebat vt nobis esset non Pontifex modò Patérve in cælis, sed etiam Mater in terris, quæ certaret pro nobis, ne erraret in nobis.

2. *A ratione.* II. Ergo Mater nostra, Mater Hierusalem, ipsa est Virgo Syon, Filia Dei, Sponsa Christi, formosa quia sancta; casta quia fidelis; vna quia vnius, & ab vno. Nam etsi Christus duas habuit, vt olim Iacob, vna est tamen amica, vna formosa, vna columba; cuius vbera, duo sunt testamenta, oculi Prophetæ, vox Apostoli, pectus Martyres, venter Virgines. *Ven-*

ter eius sicut aceruus tritici vallatus liliys. Cantic. 7.
Est enim Mater & Virgo. Mater, quia semper parit: Virgo, quia nunquam perit: Mater, quia parit Verbum, Virgo, quia parit verbo, quo & ipsa concipitur. Nam & ei Verbum Pater est, & Sponsus, & Filius. Pater origine, quia à Christo; Sponsus amore, quia Christi; Filius fœcunditate, quia pro Christo. Pater, quia genuit; Sponsus quia dilexit, Filius quia dilectus. Dicam amplius. Verbum ei caput est, & corpus illa verbo. Idem tamen in vtroque Spiritus, mens vna, caro vna, magno vtique Sacramento. *Diffusa est* Rom. 5.
enim charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Quia sicuti membra Christi viuunt fide, ita coalescunt inter se charitate, & sicut à spiritu Dei cooptatur eius corpus, quod est Ecclesia Dei, in eandem societatem vitæ: sic & ei ipsa coaptari debet vt materia formæ; *Vnum* Ephes. 4.
corpus (inquit Apostolus) *& vnus spiritus.*

III. Ergo quemadmodum spiritus eius vnus est, (non enim sibi discors aut contrarius esse potest) quemadmodum est immensus, æternus, impollutus, semper viuens, nunquam moriens, qui facit mirabilia magna solus; ita corpus eius v-

num esse similiter oportet, immensum, æternum, sanctum, impollutum,& mira operans. Vnum Fide, eadem vbique sentiens: immensum charitate, totóque latè orbe diffusum: æternum duratione, & nunquam non viuens, quia nunquam moriens; Christus enim iam non moritur, heres sibi ipse, imò & successor. *Sicubi* (inquit Hieronymus) *audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, vt putà Marcionitas, Valentinianos, Montenses; Scito non esse Ecclesiam Dei, sed Antichristi esse Synagogam. Ex eo enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros Apostolus prænuntiauit.* Vt igitur sponsus est æternus, sic esse debet æterna sponsa. Denique naturam eius imitatur & virtutes, & miracula, quibus olim & nunc quoque coruscat. Sic enim promisit, sic decet, sic iuuat. Dos ista coniugis est, flos Virginis, fructus Matris. Audi Philippum non Apostolum illum quidem, aut Diaconum, tuum tamen inprimis. *Quando* (inquit) *magnæ sunt tenebræ, vocantur noui Doctores, & semper adduntur à Deo miracula, vt certò sciamus à Deo esse missos, iuxta illud: Prædicauerunt*

In Dialog. ad Lucifer. in fine.

Philipp. Melanchthon in c.3. Math

vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

IV. En inuictæ lineamenta Matris, qualem Scriptura, qualem & Patres digessere. Hęc est, inquam, illa columna veritatis quæ populo dux est ad terram promissionis. Nam vt illa in deserto lucida nubes ab aliis nubibus dignoscebatur æquabilitate figuræ atque motus, perpetuitate sui, diffusione lucis, quæ in omnes æquè tribus vndique spargebatur, miraculis demùm oraculísque ab ipsâ redditis, vt facilè intelligerent omnes eidem Deum inesse solíque præsentem, quia cæterę interim nubes à vento circumferebantur; sic etiam Ecclesia si sit semper sibi similis, semper vna, semper Catholica, si nullis vnquam tempestatibus cesserit, sed eadem vsque ad consummationem sæculi perseueret, cùm cæteræ omnes sectę velut à vento nubes circumferantur; postremò si sit Sancta, si miraculis fulgeat, habeátque & Martyres & Prophetas, ex his omnibus simul in vnum collatis intelligitur esse Dei. Dico simul; nam fieri quidem potest, vt harum nonnullæ notæ in hæresi repertæ sint, sed vt simul omnes; id enimuerò *Conclusio.*

neque contigit vnquam, neque continget.

Hæc sunt igitur illa tandem ornamenta, hæ stellæ, hæc monilia, quæ Ioannes Isaiásque vidit; Sponsus prouidit. Sic eam Nicæni Patres, sic Ephesini, sic Constantinopolitani, sic & vos quoque art. 5. Catechismi vestri nuncupastis vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam.

PARS SECVNDA.

Ecclesiæ Romanæ conformitas cum hoc charactere.

CAPVT QVARTVM.

Quòd Ecclesia Romana sit vna.

Character vtriusque in genere.

I. AGe modò, quandoquidem omnium vnanimi consensione qualis esse debeat ex dilecto dilecta constabiliuimus, ad lydium lapidem nunc ambo stemus, ad gladium, inquam, Salomonis, vt videamus vtra duarum sit huic formæ similior? vtra Sponso coniunctior, eiúsve Apostolis vicinior aut

Prophetis vniformior? vtra clamet; diuidatur? Certè tua, non mea, quod etiamnum ex infandi ſchiſmatis importunitate manifeſtum omnibus relictum eſt. Vtra ſit Catholica, totóque ſicuti Sponſi ſpiritus orbe diffuſa? Certè mea, non tua, quod vel ex ipſius nominis nuncupatione clarum quoque effectum eſt; eſt enim mihi Catholici nomen, tibi vel Lutheri, vel Caluini. Vtra ſit ſancta? Certè mea, non tua, quod ex veſtrâmet ipſorum confeſſione & probatum eſt, & probandum eſt rurſum. Vtra denique ſit Apoſtolica? Certè non tua, ſed mea, quæ ad vſque Petri ſedem Epiſcoporum perpetuâ ſucceſſione reuoluitur, vt è Chronologicis tabulis patet. Sed hæc paulò accuratiùs diſcutienda ſunt, ac de vnitate dicendum eſt primùm.

II. Vt enim in cytharâ conſonant fides, ſic in Eccleſiâ Catholicâ cohæret Fides. Idem vbique numerus, idem diſciplinæ Sacramentorúmque & modus, & vſus. Corpus enim ſit immenſum licèt, cor tamen vnum eſt, & anima vna, & ideo ſummè vna, quia ſummo capiti ſemper vnita. Hinc Cyprianus vocat Cathedram Petri *Eccleſiam principalem,* l. 1. epiſt. 3

Vnitas in Romanâ, & eius cauſa.

vnde vnitas Sacerdotalis exorta est. Sed audiendus est libro de vnitate Ecclesiæ. *Ecclesia* (inquit) *Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur; ramos suos in vniuersam terram copiâ vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit; vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa; illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica: vnam domũ nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* Hæc ille. Addit deinde de vobis hæc quæ sequuntur. *Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius Euangelio separari?* Id autem hoc modo probat. *Neque enim* (inquit) *nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt; & cùm hæreses & schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Ita Cyprianus vtriusque causam concordiæ atque discordiæ in vtrisque

ſimul attigit. Ex quo etiam prima exiſtit veræ Eccleſiæ fulgentiſſima Nota. *Eſt enim* (inquit Athanaſius) *vt Patres tradiderunt, vera diſciplinæ ac magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiunt.* Et alio loco, *Neque enim controuerſias habent in ijs, quæ vel prophetant, vel erudiunt*; hoc eſt in dogmatibus Fidei; quoniam vnum caput eſt à quo ſic pendent vniuerſi, vt nihil aliud ſentiant quàm quod caput. Sunt enim oues, quæ non diſputant.

In decretis Synodi Nicenæ cõtra hæreſim Arianam.

Oration. in illud. Omnia mihi tradita, ſunt à Patre.

III. Inde pax, inde quies, inde lux, & in tantis ſæculi diſcordiis, tanta cæli próque cælo concordia. Et hæc fuit prima ratio quæ Auguſtinum in Eccleſiâ Catholicâ retinuit. *Multa ſunt* (inquit) *quæ me in gremio Catholicæ Eccleſiæ tenent iuſtiſſimè; tenet conſenſio populorum atque gentium, &c. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.* Vnde Apoſtolus obteſtatur in hæc verba. *Obſecro autem vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia.* Ego quamquam infinita ſunt, quæ huic argumento poſſum attexere, tamen hoc vnum adjiciam ab authore quem veſtrum nemo contemnit.

Vnitas ſignum veræ Religionis.

Contra epiſt. Manich. quã vocant fundamenti.

1.Cor.1.

1.Cor.1.

In dispūt. Lipsicâ. *Nunquam mihi placuit* (inquit Lutherus) *nec in æternum placebit quodcunque schisma: iniquè faciunt Bohemi, quòd se authoritate propriâ separant à nostrâ vnitate, etiamsi ius diuinum pro ijs staret; cùm supremum ius diuinum sit charitas & vnitas spiritûs.* Hæc Lutherus. At vide an hoc telum quod in Bohemos torsit, in vos eâdem vi retorqueri non possit? Nam & schisma factum est à vobis, & authoritate propriâ factum est, & eo prętextu factum est, quòd ius diuinum staret à vobis.

CAPVT QVINTVM.

Quòd Ecclesia Romana sit Catholica & Apostolica.

Quòd sit Catholica. I. IVngo hæc duo, quippe quæ inuicem includant sese; cùm neque possit esse Catholica, nisi sit Apostolica, neque rursus Apostolica, nisi sit etiam Catholica. Nam, vt habet Vincentius Lerinensis, *hoc est verè propriéq; Catholicum, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem.* (Aduersùs hęref. c. 3.)

Ergo *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit.* (Pacianus epist. 1 ad Symph.) Nam vt egregiè Cyrillus, *etiamsi* (Catech. 18.)

nullæ

nulla sit hæresis, quæ Catholicam non se dicat, tamen cùm quæritur à Paganis, vbi sit Ecclesia Catholica, nullus hæreticus suam ostendet. Primum itaque veritatis indicium ex Augustino ipsum est, quod habet Catholicæ nomen. *Est autem Catholica, hoc est vniuersalis,* (inquit D. Thomas) *primo quantum ad locum, quia est per totum mundum contra Donatistas. Rom.* 1. *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. Secundò est vniuersalis quantum ad conditionem hominum, quia nullus abijcitur, nec Dominus, nec seruus, nec masculus, nec fœmina. Tertiò est vniuersalis quantū ad tempus. Nam aliqui dixerunt quòd Ecclesia deberet durare, vsque ad certum tempus; sed hoc falsum est, quia hæc Ecclesia incæpit à tempore Abel, & durabit vsque ad finem sæculi. Math. vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Et hæc est è quatuor secunda nota, quâ Romanam Ecclesiam verè à Deo profectam esse cognoscimus; nam (vt arguit Eusebius) *certum est Saluatorem nostrum prædixisse doctrinam suam in testimonium omnium gentium, per vniuersum terrarum orbem prædicatum iri.... Cùm igitur apertè rerum euentus prædictioni respondeat, quis non fatebitur Dei virtutem non*

In expo. sit. Symbol. c.12.

l. 1. de præpar. Euang. c. 3.

naturam illam humanam fuisse, quæ & præuidit, & reipsa perfecit. Vbi autem perfecit? Apud vos? Minimè. Nam tametsi sit hæresis vbique, non tamen est eadem hæresis vbique, vt rectè notauit Augustinus. At *Ecclesia* (Romana) *etiam hoc nomine ab ipso donata* (pergit Eusebius) *totum ab ortu ad occasum orbem impleuit, omnésque gentes adijt, crescítque in dies prædicatione Christi,* apud Indos, Sinas, Brasilos, Canadenses, in Africâ, in Asiâ, in
Isaias 18. Americâ, *ad populum terribilem, post quem non est alius*, & ad quem ne Caluini quidem aut Lutheri nomen huc vsque peruenit.

Quòd sit Apostolica. II. Iam verò ab Apostolis perpetuâ succedentium vicissitudine descendisse, liquet vel ex ipsâ Pontificum nunquam interruptâ serie, quæ vt in canali currit. *Aquæ eius fideles.* Lege Bellarminum, lege Coccium, ipsósque adeo quanquam inimicos Centuriatores. Ibi quis cui successerit, ordine videbis. Ibi numerabis Sacerdotes vel ab ipsâ sede Petri. Ex quo aliud sequitur miraculum longè maximum; nimirum inter assiduas infidelium oppugnationes æternitas Religionis semper inultæ, & nihilominus

semper inuictæ. Hæc est enim domus illa sublimis & stabilis, de quâ veritas dicit. *Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit*: fundata enim erat supra petram. *Ipsa est* (inquit Aug.) *petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Hinc etiam fides auita, antiquitatis retinens, & custos; hinc verè Christi, quia verè à Christo, à quo & vita vt in vite palmiti, à quo & palma, vt in certamine Martyri. *Quæ etsi* (inquit Ambrosius) *vndarum fluctibus aut procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, id est in Cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paraclitus seruat Spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum, &c.* Denique vt Tertulliani verbis concludam, *Statu fælix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.*

Math. 7.

In Ps cōtra partē Donati.

lib de Salom. c. 4.

l. contra hæres. c. 36.

III. Est igitur, est omni ex parte Apostolica. Quid deinde? Quapropter (testem idoneum vestro etiam iudicio cito) *Quapropter* (inquit Irenæus) *obsequentes esse nos oportet ijs qui in locum Apostolorum*

Conclusio.

l. 4. c. 43.

ſubinde ſuffecti, ſine dubio cum Epiſcopatûs ipsâ ſede poßident ex beneplacito Patris, quoddam, vt ita dicam, æternum atque certiſsimum patrimonium theſaurúmque veritatis. Reliquos autem qui abalienantur à principali ſucceßione, quocunque tandem loco conſiſtant, vt heterodoxos, ſchiſmaticos ac ſuperbos ſuæ ſententiæ defenſores habere ſuſpectos. Sic ille.

CAPVT SEXTVM.

Quòd Eccleſia Romana ſit Sancta.

Calumniæ refutãtur. 1. ab incredibili.

I. HÆc eſt petra ſcandali & offenſionis: huc vergit omnis omnium hæreticorum furor, quibus Eccleſia Romana *lupanar eſt, abominatio deſolationis, idololatriæ ſedes, Antichriſti regnum, cuius Epiſcopi lupi ſint, tyranni, proditores, homicidæ, monſtra, terræ pondera, Apoſtoli Antichriſti, ad perdendum orbem, & extinguendum Euangelium ſculpti & facti.* Hæc & plura Lutherus aliique. Quorum falſitas vel ipsâ maledicentium impotentiâ ſeſe vndique prodit. Adde quòd incredibilia, quòd pugnantia, quòd probatione ac veriſimilitudine deſtituta, in omnes æquè ac promiſcuè, viuos ac de-

functos effutiant, quòd in Apoſtolos quoque, in Chriſti Matrem, ipſúmque adeo Chriſtum, quem exhibent deſperantem in morte, partem etiam furoris immani quadam impietate deriuant. Adde quòd iidem eoſdem, quos vno loco vocant Antichriſtos, alio veros Eccleſiæ Patres, interpretéſque Scripturæ fidiſſimos volunt. Poſtremò tota quanta eſt hæc actio, vertitur in eo quòd ſtatuas, imaginéſque Sanctorum colamus, quòd eos inuocemus, quòd pro defunctis oremus, quòd Euchariſtia præcipuo quodam cultu adoretur à nobis, quòd præter verbum ſcriptum, traditum etiam amplectamur. Quæ qualia ſint, iam bonâ ex parte vidiſti, videbíſque adhuc. Nam de moribus non queruntur, imò, vt ſalutem ex *inimicis noſtris & de manu omnium qui oderunt nos, erigamus*; Audi quale de nobis teſtimonium ipſi ferant. *Etſi hoc ſæculo veri Dei cultus, & virtutum officia traditionibus & ſuperſtitionibus obſcurata erant, tamen ſtudium ſeruiendi Deo, & piè iuſtéque viuendi miſera plebecula non defuit. Quantus enim fuit amor pietatis, quantus ardor hominum erga Religionem, inde poteſt æſtimari, quòd nullus modus fuit cumulandi*

2. *A teſtimoniis aduerſariorum.* Centuriatores Magdeb. Centur. 7 c. 7. p. 181

opes Ecclesiasticas. Precationibus verò adeo fuerunt intenti, vt ferè totam diem illis tribuerent; nec Christianus habebatur, qui ignorabat, aut non aliquoties recitabat vsitatas formulas precationum, præsertim Orationem Dominicam & Symbolum. Quanta fuerit reuerentia erga ministerium & ministros, quantus concursus ad conciones publicas, dictum est. Magistratibus honorem ac reuerentiam exhibuerunt debitam; amicitiæ & concordiæ erant studiosissimi; adeo vt offensas & iniurias citra negotium remitterent. In honestâ quoque vocatione & labore versari singulis studio fuit. In egenos & peregrinos maximè fuerunt humani & liberales. In iudicijs quoque & contractibus maximè fuerunt veritatis amantes. Hæc illi de nobis; déque sæculo, cui Lutherus accessit, vbi nihil ad commendationem Catholicæ pietatis intactum relinquunt; agunt enim de omnibus omnium virtutum officiis; charitate in Deum, atque proximum, religione, iustitiâ, misericordiâ, studio orationis, &c. aliúdque nihil reprehendunt, nisi, quæ controuersa sunt inter nos, quęque luculentissimè refutaui.

5. A moribus. Et reuera, si qualis etiamnum existat, ad Sanctuarii pondus examinetur, hoc

est ad vitæ Christi sanctissimum exemplar; eam in plurimis membris adhuc sine maculâ, non habentem rugam inueniemus. Nam iisdem viuit, vt ille, consiliis; paupertate diues, virginitate fœcunda, humilitate superbiens, subiectione regnans, ieiuniis, mortificatione, cruce denique, vt ille, omni loco, omníque tempore triumphans. Quot enim adhuc in eâ voluntarii pauperes? quot Eunuchi propter Regnum Dei? quot in obedientiæ claustríque vinculis inter mortuos viui, inter viuos mortui ac Christo verè consepulti! vincti & liberi tamen omnes? quæ porrò virtutum in vtroque sexu specimina? Mirantur vestri, nec id factibile credunt, quod factum vident. Metiuntur enim nos ex sese, non ex gratiâ Christi: sed audi Tertullianum. *Vbi Deus est*, ait, *ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ; vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.* Sic ille partes, ordinem, causásque Catholicæ pietatis enumerat. l. contr. hæres. 36.

4. Axio. III. Est tamen, est aliquid amplius quod obstupescas. Enimuerò ista quæ modò memoratus sum, ante oculos posita sunt, altero autem in orbe sunt alia lõgè miracula. Ibi Martyres, ibi Prophetæ, ibi qui nihil habent minùs à magnis Apostolis, quibus gloriari licet, *quotidie per vestram gloriam morimur.* Ergo hac etiam ætate quæsitę ingenti studio neces, & inuentæ, & barbarorum inter incendia superatæ. Noui in nouâ Franciâ Laurentii, in Indiâ Stephani, in Argliâ Augustini, vbique Vincentii. *Hæc est enim victoria nostra, quæ vicit mundum, fides nostra.* Vicit autem, non quia victi illi, sed quia vincti isti in Christo Iesu, sanguine suo ferunt, sanguine Christi metunt, & verum fit etiam hoc sæculo, quod Tertullianus Hieronymúsque asseruerunt suo. *Clauis Paradisi sanguis tuus, &, Clauis Paradisi sanguis Christi.* Lege Annales. Ibi videbis adhuc in dies fieri miracula, adhuc è cœlo demitt dona Linguarum, adhuc suscitari moruos in testimonium Fidei, adhuc imponi manus super ægros, & bene habere, adhuc millia hominum sub Christi iuga submitti, nõ armis vt vos, aut lenociniis

carnis adlectos, *vbi* (quemadmodum Tertullianus refert) *mulieres Neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, vt gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam enim facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est.* Non hoc, inquam, modo, sed cruce & ad crucem prædicando pœnitentiam, quam ipsi exhibent. l. contr. hæref. c. 36.

IV. Quæ sanè refelli non possunt, cùm regales inde legati ad Pontificem totâ spectante venerint Europâ; cùm id clamet vniuersus orbis, & de his infidelibus ad fidem conuersis idem dici possit quod de Corinthiis, *Epistola mea estis vos.* Plures enim vnus Xauerius in Indiis ad Christum adduxit vitæ sanctitate, miraculis, & efficaciâ verbi Dei, quàm omnes simul hæretici quotquot extitere ab ipso iam Fidei nascentis exordio, vt optimè Bozius. Denique vel vnum tot inter miracula ad faciendam Fidei nostræ fidem sufficere potest. Opus est enim Dei. Quis ille autem adeo impotens atque præfractus, vt omnia simul neget, quę tot testibus, tot argumentis, tantâ vitæ sanctitate probantur in Bernardo, Do- 5. *Ab efficaciâ verbi.*

minico, Francisco, innumerabilibúsque aliis, quos prætereo; quorum Fides nobis ipsa cum sit communis, in inuocatione Sanctorum, in curâ pro mortuis, in Euchariſtiâ, Purgatorio, summíque obedientiâ Pontificis, eorum miracula quoque nostra sunt, eóque magis, quod ad horum confirmandam fidem quamplurima facta sunt; vt videre est in Annalibus. Ex quo sequitur Dei nos esse. *Nisi enim esset à Deo nostra Fides, non poterat facere quicquam, quia peccatores Deus non exaudit.* Vnde rectè Richardus à S. Victore. *Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus: ista enim in nobis iis signis & prodigiis confirmata sunt, quæ nonnisi à te fieri potuerunt.* His ita constitutis de sanctitate Ecclesiæ Romanæ, vide nunc quanam æquitate dici possit à vobis Antichristi regnũ & lupanar, cuius Episcopi lupi sint, &c. Vide quo iure dicatur abominatio desolationis, & famosa illa meretrix, ebria sanguine Sanctorum? nisi meretricem ideo putas, quia virginitatis est mater & custos? quam tute fateris omnibus omnium virtutum officiis instructissimam.

Richard. à S. Victore l. 1. de Trinit. c. 2.

Conclusio. V. Est igitur, est Ecclesia Catholica si-

millima Sponso, Sponsíque Spiritui. Est inquam illa Mulier amicta Sole, duodecim notis tanquam fulgentibus stellis insignis. 1. Habet vnitatem in dogmatum consensione. 2. Originem in Apostolicâ traditione. 3. Antiquitatem in Episcoporum successione. 4. Concordiam in capitis vnitate. 5. Sanctitatem in morum doctrinâ atque disciplinâ. 6. Efficacitatē in infidelium conuersione. 7. Æternitatem seu incorruptionem in Fidei integritate. 8. Immensitatem in omnium nationum possessione. 9. Ordinem in membrorum subiectione. 10. Imperium in summâ supremi Capitis authoritate. 11. Rerum vitæque splendorē in Martyribus, Apostolis, Prophetísque suis. 12. Miracula, ac denique Sponsum in seipsâ, & seipsam in Sponso. *In Ecclesiâ Catholicâ* (inquit Aug.) *tenet me consensio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholicæ nomen. Cui nolle primas dare, vel summæ profe-*

l. contr. epist. Fundam. c. 4.

l. de vtilit. cred. c. 17. *ctò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Sed antequam id cum Augustino concludam, opponenda mihi deinceps Annæ Phenenna quæ primatum ambit, quæ reformationem pollicetur, quæ dicit: Ego sum Christi Sponsa, tu meretrix, tu lupanar.

PARS TERTIA.

Quanta sit Ecclesiæ Reformatę ab Euangelico charactere difformitas.

CAPVT SEPTIMVM.

Quòd è quatuor notis supradictis nullam habeant aduersarij: ac primò de vnitate.

Difformitas in omnibus. I. ERgo vicissim edite, ac si quid habetis simile, si quid vicinum. Vbi Martyres apud barbaros vestri? vbi virgines apud vos Christi? vbi pauperes apud vtrosque Euãgelici? vbi venter Sponsę sicut aceruus tritici vallatus liliis? vbi subiectio in rebellione? vbi successio in Fidei

innouatione? vbi immensitas in parte? vbi vnitas in schismate? vbi antiquitas in nuper editâ? vbi æternitas in iam moriente? talis est enim hæresis, qualis voluptas. Moritur citò, consenescit nunquam. Simul est in ortu, simul in occasu; quippe quæ non placeat nisi nouitate sui. Porrò quomodo sit Apostolica, quæ dicitur Caluini? Qualis origo est, quæ à Christo non est? quale signum, quod non est in cælo? neque mulier amicta Sole, sed tenebris inuoluta, atque adeo inuisibilis, vt vultis? queror singula, cùm vniuersa desint. Vbi ciuitas in monte? vbi lampas super modium? vbi tabernaculum in Sole? vbi vita Christi? vbi paupertas? vbi cælibatus? vbi solitudo? & pax, & quies, & humilitas, & abstinentia sæculíque fuga? vbi charitas proximi? vbi concordia vel inter vos? De quibus idem dici potest quod de Arianis Hilarius dixit, *tot existere fides, quot voluntates.* Imò ne id quidem definitum habent vbi Fides sit, in quóve consistat. Eam enim alii statuunt in Symbolo, alii in Decalogo, alii in Symbolo simul ac Decalogo: quibus addunt hi Dominicam Orationem, hi Sacramenta. Est qui solâ fide contentus in Christum

l. 2. ad Constantium.

crucifixum, ex æquo cætera repudiet, dummodo *Papam Antichristum esse non negetur.* Ita Lutherus, cùm inter pocula ludit. Quid memorem quòd ne de textu quidem Scripturę conueniunt inter se, multò minùs de sensu? Nam cùm spiritu ducantur suo, variant inter se, dum vnusquisque pro suo arbitratu modulatur, vt loquitur Tertullianus, & vt Aug. *Dissenserunt à Magistris discipuli, & inter se condiscipuli, quia vt homines humanis sensibus & humanis ratiocinationibus ista quæsierunt, vno verbo acephali sunt.*

l. 18. de Ciuit. c. 41.

Spiritus vertiginis.

II. Hinc diuortia sectarum tanta, vt quemadmodum vester Dudithius apud Bezam refert, eorum qui contra Romanam Ecclesiam pugnant, vix esse articulum vnum, in quo planè ac ex toto conueniant inter se. Nimirum *effusa est contentio super principes eorum, & seduxerunt eos in inuio, & non in viâ. Ipsi etenim* (inquit Gregorius) *dum dispensationem Dei peruersè interpretari non metuunt, profectò plebes subditas non in eam viam, quæ Christus est, sed in inuium trahunt, super quos rectè quoque effusa contentio dicitur, quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt.* Lege Thesaurum Coccii Tomo. 1. l. 8. de

Psal. 106.

l. 19. in Iob. c. 11.

signis Ecclesiæ. Ibi videbis in quantis articulis dissentit Lutherus non tantùm à Caluino, sed etiam à seipso, & vicissim Caluinus à Luthero & à seipso, cæterique deinceps. *Nec enim* (vt egregiè Nicetas) *quicquam est vnum penès Diabolum; cuius Ecclesia nunquam est vna, secum enim ipsa pugnat. Quippe tale est vitium, vt non tantùm virtuti, sed sibi quoque sit ipsum contrarium.* Vnde clamat Propheta, *Eripe me, & libera me de aquis multis; illæ enim aquæ multæ non generant filios tuos, sed filios alienos.* Ita Hieronymus. In cap. 28. Iob. Ad Ps. 143

III. Quòd si deest vnitas, multò magis antiquitas; siquidem Ecclesia, ipsis etiam Apostolis adhuc superstitibus, & vt vobis placet, ipsis cõniuentibus infirmitati peccantium, defecit non à veritate quidem: absit, sed à vobis. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum. Euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem & successorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. Et quomodo successionem habeant, qui ne ordinationem quidem habent, à seipsis ordinati.* Verè *Nouitas.* Tertull. contr. hæres. c. 10.

Cyprian. libr. de simplicit. Prælatorum.

enim dici potest. *Ii sunt qui se vltro apud temerarios conuenas sine diuinâ dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vllâ ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.*

Effugium Ministri Metensis.

Neque dicas cum tuo Ministro Metensi, vos à Valdensibus originem traxisse; nam vt omittam hanc originem non esse vobis admodum gloriosam, illi neque iuncti sunt vobis, neque Apostolis. Interierat enim hæresis ante vos, & longè post Apostolos pullularat. Accedit quòd in multis dissentiant à vobis. Audi Lu-

In colloq. Germanicis. cap. de Svvermeris.

therum. *VValdensium mirabiles sunt opiniones de Sacramento altaris, quas ipsi non intelligunt; dicunt in pane & vino esse verum corpus & verum sanguinem Christi verè, essentialiter, naturaliter, sed tantùm Sacramentaliter...... Errant in eo quod non credunt solam fidem absque operibus iustificare, sed eam opprtere esse charitate reformatam: de imputatâ iustitia nihil norunt: nil sciunt de virtute diuini verbi, quod Deus nobis etiam antequam boni quicquam operemur, sit propitius.* Ecce in articulis (quos appellatis fundamentales) diffident à vobis. Ergo vehementer instabo cum Pa-

Aug.

tribus: *qui estis vos? vnde apparuistis? de*

qua

quâ terrâ germinastis? ex quo mari emersistis? de quo cælo cecidistis? postremò vbi tamdiu latuistis? Nam si (vt ait Caluinus) ista Ecclesia nunc primùm apparuit, cùm antea per multa sæcula latuisset, aut antè perierat, & resurrexit; aut solummodò è latebris extulit primùm hoc tempore caput. Si perierat, vnde renata? si latebat, vnde profecta? vbi professa? nam & secundùm vos, confessio Fidei necessaria est ad salutem; atqui nemo Caluinianā hæresim ante Caluinum, nemo Lutheranam ante Lutherum ex toto professus est. Vide hîc iterum Coccii thesaurū. Nam horum probatio, tametsi sit in promptu, tamen & longa est mihi, & importuna tibi.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd neque habeant doctrinæ vel morum sanctitatem.

I. VEnio ad morū doctrinæque sanctitatem, quâ sic vtrâque carent, vt Lutherus ingenuè fassus sit *hanc causam nec propter Deum cæptam esse, nec propter Deum finiendam.* Addidit etiam sibi, qui castitatis voto fidem inter Augusti- *1. Ex eorum confessione.* In colloq. Lipsiæ.

nianos obstrinxerat, ibi diu Sacerdos, æquè necessarium esse vti muliere, ac edere, purgare mucum, emungere. Quid quòd in Colloquiis Mensalibus Germanicè editis folio 275. narrat quòd in dormitorio nonnunquam cum Diabolo deambulet: & addit se habere vnum atque alterum mirabilem Diabolum, à quibus diligenter & admodum intentè obseruetur. Et folio 281. *Diabolus* (inquit) *frequentiùs & propriùs mihi condormit, quàm mea Catharina.* Vide plura huiusmodi apud apud Coccium Tom. 1. l. 8. de signis Ecclesiæ. De Caluino nihil dicam amplius, quàm quæ alibi dixi, quęque nota sunt ex eius vitâ. De vtriusque autem discipulis ipsa nos experientia docet quales sint in vtroque homine: si dici potest in vtroque, vbi nihil hominis apud plerosque supersit, vt fatetur ipse Caluinus, qui suæ sectæ homines vocat *omnium mortalium sceleratißimos & facinorosißimos,* & *Cùm verba* (inquit) *illorum sceleribus satis congrua inuenire non poßim, tetra monstra, & malos genios formam humanam indutos reor.* Sed audiendus hoc loco Iacobus Andreas insignis è Protestantibus Doctor. *Altera pars & turba*

Concion. 10. in epist. ad Ephesios.

Concion. 4. ad cap. 21. Luc.

Germanorum suum quidem locum verbo Dei, vt prædicetur, tribuit, nulla verò sentitur in illis morum emendatio, sed horrenda, Epicuræa, bestialis eorum vita cernitur in conuersationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis, & diuini Nominis prophanationibus, siue blasphemijs. Deinde afferens horum omnium causam ita eos inducit differentes. *Didicimus modò per solam fidem in Christum saluari, qui suâ morte pro peccatis omnibus satisfecit: nos verò satisfacere non possumus nostris ieiunijs, eleemosynis, prædicationibus ac alijs operibus: Quamobrem sine & permitte, vt huiusmodi opera missa faciamus, cùm per Christum alioqui saluari poßimus, & solùm gratiâ Christique meritis nitamur. Atque vt totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco comessationibus & perpotationibus nocte dieque vacãt. Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt ac excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blasphemias & diuini Nominis execrationes, idque tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis tantopere blasphemetur. Demùm pro humilitate paßim regnat apud eos superbia, fastus, elatio, luxu-*

ria vestium, quæ aut sumptuosissimè aut etiam stultissimè sint elaborata. Atque hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur institutum. Interim sibi persuadent homines miserrimi, se rectam verámque in Deum fidem in animis suis retinere, & sibi propitium esse Deum: imò etiam se probiores impÿs & pseudo-Apostolis Papistis iudicant. Hactenus ille. Cuius ego cùm verba rescriberem, mihi sæpe in mentem venit, ne in authore citando aberrassem, ac hominem Catholicum loco Protestantis inscius accepissem; adeo rem exertè prosecutus est.

Vrgentur. II. Rursus ergo quæri potest à vobis, vbi sit illa secundum regium Vatem vitis immensa, quibus, si vos ipsos audimus, tota vita est in mensâ, secta in angulo, cœna in orbe, & in orbem. *Probent* (inquit Tertul.) *se nouos Apostolos esse, iterum Christum descendisse, iterum Spiritum Sanctum in linguis igneis demisisse;* sic enim Apostolos facit. Imò probent se Christianos esse, se homines. Lege amicissimum vobis Erasmum. *Circumspice* (inquit) *populum istum Euangelicum, & obserua num minùs indulgeat luxui, libidini, gulæ, quàm faciāt ÿ quos detestamini. Profer*

L. contr. Hæres. c. 10.

In Epist. ad Vulturium.

mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.

III. At obiicis, Ecclesię Catholicę suos inesse næuos, multósque illam pati quoque malos. Rectè dixisti pati, quos non parit, quos non facit. Enimuerò ferri à nobis in agro Zizania nemo miratur, quia præceptum est Christi, fieri autem à vobis, & fieri de nocte, dum dormirent homines, nemo non indignatur, quia officium est inimici. Seritis autem, quando doctrinam antiquam Patrum abiicitis, vitámque eorum abhorretis, quos in errorem omnes abreptos esse pronuntiatis. Caluinus enim & Lutherus aiunt modò lapsos, modò non curandos, modò superstitionis semina jecisse ante mille & trecentos annos, imò ab *ipso iam inde Clemente* hoc est sub oculis Apostolorum & Christi, merâ χακοζηλία. Seritis, inquam, quando necessitatem peccandi, impossibilitatémque rectè agendi defectu gratiæ sufficientis edocetis, *ex Deo gratis reprobante, atque ad omne crimen ministerio Sathanæ* (loquitur

Occurritur difficultati. Secundo ex causâ.

L. 3. c. 5. § 10.

L. 4. Inst. c. 11. § 20.

L. 3. Inst. c. 23. §. 24.

Caluinus) *impellente*. Quis enim deinde ad animę salutem seriò se accingat, quam planè impossibilem credit? Seritis iterum iterumque, quando bonis operibus meritum adimitis, vim Sacramentis, libertatē Christianis. Sequitur enim illud quod modò ex vestro Prædicante afferebamus: *Didicimus per solam fidem in Christum saluari.* Seritis postremò, quando sensum vestrum legum omnium legem importunissimo dogmate statuitis. Nam ab illo superbifico, nullíque subiecto sensu quo tumetis, tanquam ab omnium vítiorum communi fonte, manat in vitam incredibilis quædam nequitiæ morúmque in omnem latè partem deploratissima colluuies. Ex illo enim abiectus pudor omnis, conculcata legum authoritas, bellum sacris omnibus indictum: & quia licere sibi cuncta dum credunt, cuncta non feruntur tamen, hinc pugnæ misceri, primæ calamorum; ensium secundæ. Quis enim mala quæ deinde secuta sunt commemorando explicet? Vastata templa, abstractæ ab altari virgines, obtruncati fœdum in morem Sacerdotes, regna Regibus opposita, & regna regnis.

Vbi supra.

IV. Cùm autem obiicimus mansuetudinem Christi, & modestiam, & cælibatum, & vitæ Euangeliíque instituta, ab hac eorum intolerabili vecordiâ quàm longissimè abhorrentia, rident simplicitatem nostram, ac identidem iactant in vulgus, se nihil nisi ex verbi Dei limpidissimo purissimóque fonte traxisse; nos prudentiam carnis sequi, se verò crucem ad perpendiculum & ex vngue. At quadragesima nulla est apud vos, cuius obseruationem à patribus, imò ab Apostolis accepimus. *Fateor* (inquit Caluinus) *à patribus qui superstitionis prima semina iecerint.* Sed & ipse Christus quadraginta diebus ieiunauit. Nihilominus (instat) est res superstitionis plena, *titulo ac colore imitationis Christi.* At opus est exercitiúmque temperantiæ, quo caro spiritui subiicitur, atque ad exemplum Apostoli in seruitutem redigitur? Imò opus est carnis (inquit) quod euacuat crucem Christi. Si diceres ventrem, crederem equidem; sed crux euacuat crucem? id porrò quî fiat, haud cogitatione assequor. Sed perge. Etiámne vota damnantur? Etiámne cælibatus? etiámne voluntaria pauper- *Vrgentur.*

tas? cùm dixerit Christus, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me. Et, sunt Eunuchi, &c. Fateor,* (inquit) *hæc magno plausu etiam antiquitus recepta esse iam inde à Clemente, hoc est ante mille & quingentos annos.* Nimirũ ex Apostoli cõsilio! ait enim, *De virginibus præceptum Domini non habeo, consiliũ autem do.* Ex ipsius etiam Domini tum hortatu, tum exemplo! quorum alterum est verbum Dei, alterum factum, vtrimque regula & exemplar vitæ, etiam secundum te. Nihilominus *id factum est* (inquit) *impiâ tyrannide.* En qualis è limpidissimo Verbi fonte riuus emanet! en Christi crux Euangeliíque reformatio ad perpendiculum & ex vngue! O mirificam hominum stultitiam atque cæcitatem! non enim aliter hæc appellari possunt.

L. contr. Hæref. c. 10.

Age (inquit Tertul.) *errauerint omnes Ecclesiæ; deceptus sit Apostolus de reddendo testimonio; nullam respexerit Spiritus Sanctus ad hoc missus à Christo, vt esset doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter credere, aliter intelligere, quàm ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot & tantæ in vnam fidem errauerint.*

Quid? tamdiu vtique regnauit error, quamdiu hæreses non erant? aliquos Marcionitas & Valentinos; (sine me vltrà progredi, & adiungere Tertulliani verbis sæcula quatuor supra decem) dicam igitur, aliquos Caluinistas & Lutheranos, *liberanda veritas expectabat? interea perperam euangelizabatur? perperam credebatur? tot millia millium perperam tincta? tot opera Fidei perperam administrata? tot virtutes, tot charismata perperam operata? tot Sacerdotia, tot ministeria perperam functa? tot denique martyria perperam coronata?* quia Caluinus homo capite diminutus, exilióque pulsus ob crimen, quia Lutherus irâ ob Indulgentias sibi ereptas inflammatus, atque à claustri vinculis ad effrænem libidinis suæ licentiam anhelans, ita velit; & vos, ô miseri, contra manifestissimam tum Euangelij, tum Apostoli vocem, his duobus falsis testibus, de quibus verè dici potest, (*& non erant conuenientia testimonia eorum*) vsque in hodiernum diem fidem adhibetis! O furorem!

CAPVT NONVM.

Concluditur ex vtrorumque diuerso schemate.

I. EGo verò ex hoc insigni schemate ac notis vtriusque Ecclesiæ quasi genuinis, hanc adulteram, illam autem veram legitimámque Sponsam pronuntio.

Ecclesia nonnisi vna.

Certum vnum est, Ecclesiam existere nonnisi vnicam; *non enim duas aut tres inuenire licet, quin discerpatur Christus.* Ita Caluinus, ita vox omnium est. Porrò conuenire ambas haud magis possibile est quàm arcam & Dagonem: quippe quæ totis & principiis & finibus diuisæ sint inter sese, vt ex dictis patet. Alteram igitur duarum esse veram oportet, alteram falsam. Vnde autem cognoscenda vera? vnde falsa? diximus. Ex quatuor antè memoratis notis, quòd sit vna, quòd Apostolica, quòd Catholica, quòd & sancta. Cæteræ enim omnes ad has haud difficili negotio reuocantur. Atqui probauimus Romanam esse Religione vnã ac fide, sibi suóque capiti congruentem in doctrinæ Sacramentorúmque & nu-

mero & vſu. Probauimus etiam veſtram à nobis receſſiſſe, conuenticuláque ſibi noua quæſiiſſe. Præterea Romanam eſſe verè Catholicam & tempore propter ſucceſſionem, & loco propter vniuerſitatem, veſtram autem vtroque minorem, breuem tempore, vt quæ hæreſum nouiſſima ſit, loco angularē, vt quæ ſecta ſit. Dictum eſt etiam de moribus vtriuſque, & ab vtriſque, audiuiſti nos & vos. Quæ cùm ita ſint, éſtne tibi relictus ambigēdi locus? Quod vt adhuc clarius eluceſcat, exemplū ab Hebræis mutuari nobis licet. Omnia enim in figurâ contingebant illis. Scis olim duas in Eremo partes extitiſſe: alteram Aaronis, alteram Core; cum Aarone ſtetiſſe columnam nubis & vniuerſam plebem; Core autem ſeparatū à toto Eccleſiæ corpore cum ſuis; illius porrò repentè virgam floruiſſe, huius autem globum abſorptum à terrâ, viuúmque ad inferos eſſe detruſum. Quo quidem in caſu, nonne manifeſtum erat omnibus, cuius erat vterque?

Iam ab hac figurâ recurre ad veritatem. Aaroni ſuffice Pontificem, illum inquam Pontificem cui dictum eſt; *Paſce*

oues meas; columnæ nubis, Ecclesiam qualem descripsimus & ipsam quoque columnam, simili luce radiantem; hoc est Catholicam; virgæ florenti potestatem virtutibus miraculísque fœcundam; ex aliâ parte respondeat error errori, schismáque schismati. Sit pro Core Caluinus (nam & Hebræa vox idem sonat.) Clamet vterque & grandi voce intonet vsurpari imperium in populum Dei, ac sub obtentu Religionis pontificiam tyrannidem stabiliri. Stent à vestris partibus Proceres Synagogæ, & ad Concilium vocati respondeant vt illi, NON VENIMVS. Vno verbo nemo eius electionem æquo animo ferat. Postremò par sit vtrorumque exitus, alios è cælo tactos, alios igne, alios peste vermibúsque consumptos pangant Annales; quid tu ad hæc? Non audis Dominũ vtrobique clamantem? *Separamini ab illis, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Nam (vt optimè Aug.) *thuribula ærea in quibus Dathan & Abiron offerunt, imaginem tenent Scripturæ, cui hæretici ignem alienum, id est sensum erroneũ imponentes incensum Domino execrabile offerũt.*

Core enim Hebraicâ linguâ idem est ac Caluities seu Caluinus.

Num. 4.

Serm. de temp. in illum locum.

III. Quòd si tamen neque Legi neque Euangelio credis, crede saltem vel tibi

Argumẽto quod vocant ad hominem.

ipsi. Nam ex vestris doctissimi quique ad vnum penè omnes fatentur in Ecclesiâ Romanâ tutum esse saluti perfugium. Hoc passim multísque locis Lutherus, hoc Polanus, Hocherus, Couellus, Augustana Confessio, Iunius, Zanchius, Alstedius, Spalatensis, &c. Vnus pro cunctis audiatur Lutherus totius hæresis insigne ac primarium caput. *Nos fatemur* (inquit) *sub Papatu plurimùm esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imò verum esse nucleum Christianitatis.* Ecce vides non negat Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, siquidem ipsa continet omne bonum Christianum, verámque Christianitatem. l. contr. Anabapt.

Sic igitur argumentor ad hominem, vt ab homine te ad Deum aliquando conuertam. Altera duarum falsa est, tua vel mea; nam vtraque, vt ostendi, non potest esse vera. Atqui nō errat mea, quia non errat Christus, quocum est mea, & vt tute confiteris; ergo vt ex ore tuo te iudicem, falsa est tua. Nam vel falsa vel vera est; si falsa, ergo nostra vera est; si vera, ergo nostra rursus vera est, quia veram vestra pronuntiat. Vtcunque mea

vera, tua falsa, quia vtcunque mea vtriusque testimonio fulta est, tua neutrius. Præterea aut vera erat Ecclesia Catholica cùm deserebas, aut nulla; si vera erat, quare deseruisti? si nulla, vnde prodiisti? Ecce vnum è duobus necessarium est, vt sis vel desertus, vel desertor; vtrumuis definias, perire te oportet, nisi pereuntem antè deseras.

Extra Ecclesiam nulla salus.

IV. Nam sicuti securi sumus dum Ecclesię sinu continemur, ita extra veram Ecclesiam scis nemini salutem esse sperandam, *quantumcumque eleemosynas fecerit* (loquor cum Fulgentio) *& pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit.* Cuius rei manifesta ratio est, quia sublato totius ædificij fundamento, quod est Ecclesia, cætera ruant necesse est. A quo enim verbum, à quo literam, à quo sensum, à quo rectum Sacramentorum vsum, numerum, ordinem atque ritum; à quo denique Fidei decreta disputandíque finē accepturus es? Nónne propterea dixit Christus? *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; quia reuera sine Deo est vti Paganus, id est sine Patre, qui sine Matre est. Hinc illa Patrum assidua constánsque vox: *Extra Ecclesiam non est salus.*

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio totius Disputationis.

I. ORo te igitur ac vehementer etiam atque etiam obtestor, vt quid nunc denique pro te perorem, animaduertas. Duo vidisti quæ promiseram, primum exemplar ideámque Sponsæ Christi, ac eius insignia. Tum vtramque comparauimus Ecclesiam: hinc Catholicæ lineamenta detecta frontis, inde Hæreticæ subodorata vestigia fraudis; hinc columbam, inde vulpem; hinc ramos oliuæ, pacis optatæ prenuntios; inde incendia colligatis inter se vulpium caudis, Ecclesiæ messibus iniecta. Nam vt Ambrosius habet, *hæreticos etiam omnes arbitror vulpibus comparandos, qui cùm in domo Domini habitare non possint, conuenticula sibi quædam velut foueas præparant tenebrosas, in quibus pertinaciter latentes, insidiantur Ecclesiæ.* Vidisti igitur illam vxorem Agni, cum dote suâ, cum ornamentis atque monilibus: hanc malam & magnam bestiam Antichristi, habentem cornua duo similia Agni, id est duo Testamenta, & loquebatur vt dra-

Recapitulatio.

Serm 80.

co. Monstrauimus monstrum, & characterem & sine signis signa; Notasti notas; Notasti Nothos. Vidisti ibi confusionis esse Babelem, vbi fratrem occisum esse nouimus Abelem. Ibi nefandis omnia dogmatibus esse permixta, necessitate, desperatione, bonorum operum infamatione, mandatorum Dei impossibilitate; ibi disciplinam dogmatibus esse parem, imò & peiorem; postremò tibi teipsum opposui, armísque pugnaui tuis.

Peroratio. II. Porrò agitur de æternitate tuâ, cuius causa bis nunquam redit, quæ sine Fide non potest haberi, sine Fide non potest non amitti. Neque verò ignoras in dubiis tutiori parti fidendum. Ecce cùm adhuc anceps animíque pendens hæreret Henricus IV, hoc vnum hominem impulit, Regémque cunctantem, quòd è prudentiâ foret, rectâque ratione, vt illa capesseretur via, quæ ex vtriusque partis confessione securam præstat & fidem & salutem. Hoc ipsum consulenti Matri Philippus Melancthon in morte respondit. Quin tu tibi ipse respondes idem quoque? Cur in tali tantâque causâ vis periculum facere non in animâ vili, sed

in

in animâ tuâ pretioso Christi sanguine redemptâ? *Empti enim estis pretio magno.* An ignoras eum qui periculum amat, in eo perire? Aut Angelum fortasse de cælo qui moueat aquam, expectas, cùm habeas ante pedes Christum? O dilectissime, *quàm vellem esse apud te modò, & mutare vocem meam.*

III. *Enimuerò quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante?* Méne rides ista nequicquam tanto cum vate minitantem? at si Prophetam méque contemnis, noli Christum aspernari. *Timete eum* (inquit) *qui cùm occiderit, habet facultatem mittere in Gehennam; ita dico vobis, timete.* Christiani nomine gloriaris, sed frustra; nam quò tibi Baptismus, quò cæna, quò læna Christi, si deest fides, si naufrago portus, Ecclesiæque salutaris arca, extra quam non est salus? Aut quomodo potes amicus esse Sponsi, qui inimicus es Sponsæ? Nescis de se illum tacere, de Ecclesiâ nunquam? *Ergo scito & vide quia malum & amarum est reliquisse Dominum Deum tuum. A sæculo confregisti iugum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non seruiam. Nunquid solitudo factus sum Israëli, aut terra serotina? Saltem amodo*

Isa. 33.

Ierem. 2.

R

voca me, reuertere auersatrix Israël ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus sum ego, & non irascar in perpetuum. Hęc sunt Dei tui non tam verba, quam ignea iacula, quibus te reuocat ad viam salutis. Addo tantùm ex Augustino *vt si quid te vel ratio, vel oratio nostra commouit, & si veram, vt credo, curam tui geris, velim me audias, & bonis praeceptoribus Catholicae Christianitatis te piâ fide, alacri spe, simplici charitate committas, Deúmque cuius vnius & bonitate facti sumus, & iustitiâ pœnas luimus, & clementiâ liberamur, orare non cesses.*

l. de vtil. cred c.18.

DISPVTATIO QVINTA.

De Eucharistiâ.

CAPVT PRIMVM.

Distributio causæ, & eiusdem argumentum ex aduersariorum querelis,

I. DVo requiris à me in hoc supremo congressu valde diuersa: quorum alterum est, vt tibi probem præsentiam Corporis Christi, hoc est modum, quo repræsentatur in Sacramento: alterum, vt explicem eiusdem absentiam, hoc est modum, quo immolatur in Sacrificio. Nam vtrumque pariter negas, dispari licèt ratione. Primum quidem, quòd cum Caluino non existimes idem Corpus spatiis simul esse posse disiunctis. *Insane* (inquit ille) *quid à Dei potentiâ postulas, vt carnem faciat simul esse, & non esse carnem?*

Distributio causæ.

l. 4. Instit. c. 17. §. 24.

Secundum verò, quòd inficiere Sacrificium vllum esse sine sanguinis effusione. *Etsi dicant Papistæ* (idem ille) *se Christum nec velle, nec posse interficere, tamen id sequi ex eorum dogmate probant argumenta nostra.* Et addit *hunc pestilentißimum errorem totum orbem inuasisse*, quem etiam conuitio appellat suo more, *abominationem desolationis stantem in loco sancto; Contumeliam Dominicæ Cœnæ, Crucis euersionem, postremò Sacrificium Papæ, hoc est Antichristi.*

lib. 4. Inst. c. 18. § 1.

Querela.

Gratiarum actio ob auditoris conuersionem.

II. Hæc itaque duo breuiter, vt in causâ toties peroratâ, vbi retexero, calumniámque retudero, te tibi remittam, si tamen adhuc tibi, quem ad meliora conuersum, dum ista controuerto, lætissimo nuntio accepi, videns te non te, & vt Paulini verbis vtar, videns te *ex Apro agnum, ex Leone vitulum*, agóque gratias immortales Deo meo, qui preces, humilitatémque serui sui, & amorem in te meum non ex toto despexerit, verè misericors & semper bonus. Sicuti, nec despero quin & plerique tuum olim exemplum secuti, iisdẽ quibus tu, moueantur argumentis, præsertim cùm eadem me ad scribendum charitas impulerit, quæ ad tecum

Epist. ad Aprum.

disputandum permouebat. Quare oro te, vt quoniam singulari beneficio gratiæ, Dei præuentus es, in eam spem quâ voce in congressibus, quâ merito in precibus tuis mecum adlabores: quis scit an conuertatur Dominus, & an etiam conuertat? *Quia non est Domino difficile saluare vel in multis vel in paucis.*

PARS PRIMA.
De Sacramento.

CAPVT SECVNDVM.
Primum argumentum ex formulâ ritúque testamenti.

I. ERgo vt de Sacramento dicamus inprimis, ego te ad tribunal (ago enim quasi cum hoste) ad quod sæpè prouocasti, viciſſim appello. Non te fugit hanc esse tuorum grandiloquam perpetuámque vocem, quâ se gloriantur pro vnicâ Fidei regulâ Scripturam amplecti, cùm in aliis controuersiis, tùm in hac præcipuè. *Hîc non moramur* (inquit Lutherus) *si clamitent Papistæ: Ecclesia,*

Scriptura regula Fidei.

L. contra Regem Angliæ.

Ecclesia, Patres, Patres, quia hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeóque Apostolos. Verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos, adeóque ipsos Angelos. Caluinus autem, *Et certè si cogitamus Domini, non hominum Cœnam esse, non est cur vllâ hominum authoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos ab illâ vel latum vnguem dimoueri. Sola hîc eius authoritas vigere debet.* Et vtriusque prædo Kemnitius, *Neque Veterum* (ait) *qualescunque sententiæ, sed Scriptura canonica regula est, & norma Fidei & iudicii in hac controuersiâ.* En fides, en regula vestra. Cæterùm hæc regula tantò plus habet ponderis, quanto plus habet verbum claritatis, *Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Est autem verbum clarum, ac dilucidum, cùm enunciatur modo simplici, categorico, eóque in Scripturâ ac secundùm Patres constanti simul atque perpetuo. Inde enim manifestum eruitur indicium propriæ naturalísque significationis, siquidem vt figura varia est ac multiplex, ita proprietas vna & singularis. Proprium enim appellamus, quod soli sempérque conuenit.

L. 4. Inst. c. 18. §. 11. & 12.

pag. 798. & 799.

II. Age, ſta nunc ad Iudicem, quem optaſti: verba, ſenſum, ſententiam expende, ſimul & omnium conſenſum. Hoc est Corpvs mevm. Quis hoc pronuntiat? Chriſtus. Quis refert? Mathæus, Marcus, Lucas, Paulus, idem omnes, iiſdémque conceptis verbis. Ioannes verò *verè carnem* eſſe Chriſti, verè manducandam à fidelibus, vt manna à patribus, non ſemel, neque vno loco, ſed paſſim conſtantérque aſſerit, cum ſcandalo Iudæorum etiam tum veſtro. Quid ergo, quæſo te, requiritur amplius, ſi regula Fidei verbum eſt Dei, vt ſentitis? Enimuerò vbi crebrius illud, vbi liquidus, vbi fortius expreſſum eſt? Cogita locum, tempus, modum, adiuncta denique omnia; Chriſtus loquitur ad ſuos, ipſe teſtans, ipſe in extremo poſitus, & nouiſſima verba fundens, & vt in teſtamento, ſuo quidque nomine appellans. Porrò fac nondum pronuntiatum, téque ſententiam & verba conari, quo id exertè claréque efferas: quid aliud diceres verba Chriſti recitans quàm *hoc eſt verè corpus, hæc verè caro, hic verè ſanguis meus:* & ſi quis tibi contradiceret, aut in dubium mentem ac verba tua reuocaret,

Expendũtur verba conſecrationis.

posses eo casu hominem aliter refellere, vel confirmare, quàm idem referendo, ac identidem repetendo auribus veluti classicum quoddam insonare; *Hoc est, hoc est, hoc* (inquam) *est corpus meum. Verba quæ loquor, spiritus ac vita sunt. Verba vitæ æternæ habeo. Testamentum est, vt in testamento clarè dilucidéque pronuntio sine ambagibus, sine tricis, non lego vmbram sed corpus, quia sum veritas & vita.* Quid enim est testamentum, nisi *supremæ* (vt egregiè Gellius) contestatio mentis? Vel vt Vlpianus, *argumentũ vltimæ voluntatis?* Propterea enim addidit; *hic est sanguis noui testamenti in meo sanguine.* Quasi diceret: Noli cogitare figuram aut signum, vt in vetere testamento, sed habeto rem ipsam in sanguine meo. Hoc nouum Testamentum est, hic non sanguis hircorum aut taurorum, sed meus. *Vtitur* (inquiunt Centuriatores) *rotundis & simplicibus verbis. Non dicit: Edite panem significantem meum corpus; sed edite corpus meum.*

Centur. 1. l. 1. c. 4.

CAPVT TERTIVM.

Argumentum secundum à consequentibus.

Occurritur obiectioni quâ dicũt. Scripturã loqui de signo vt de re.

I. ALioqui si figura duntaxàt esset corporis, ac de signo tantùm,

quemadmodum putas, vt de re loqueretur, quid? non poterat Mathæum explicare Marcus? aut vtrumque Lucas? aut omnes Paulus? præſertim addubitantibus contradicentibúſque Iudæis, imò & Corinthiis, ad quos ille tum ſcribebat ſuper hoc informandos, atque adeò, cùm aberrarent, reformandos? Erátne tanti dicere? Nihil eſt quòd iſta res vos angat. Non eſt corpus, ſed figura tantùm, quale manna, qualis agnus, qualis hircus. Quod neque ſtuperent diſcipuli, cùm non eſſet Hebræis nouum, neque negligerent Magiſtri, cùm foret nouitiis in Fide planè neceſſarium; neque illis modò, ſed omnibus etiam poſt tot ſæcula credituris.

II. Quî fit igitur, vt in tanto diſcrimine animorum, & præſenti, & futuro, nemo omnium hoc dicat? Vt omnes contrà vociferentur, HOC EST, tu ſolus, HOC NON EST? Verbum Dei affirmat. tu negas: cui credimus, *ſi regula, ſi norma Fidei verbum eſt Dei*? Omnes clamant *verè*, tu ſolus, *non verè*. Paulus inſtat. *Ego accepi à Domino, ego prout accepi, tradidi; nouiſſima Chriſti verba ſunt. In quâ nocte tradebatur, accepit panem & gratias* *Inſtantia.*

agens fregit, & dixit, hoc est corpus, quod tradetur pro vobis; hic est idem ille sanguis, qui effundetur. Et, quicunque manducat indignè, reus erit corporis & sanguinis Christi. Itáne? si est vmbra tantùm? tibíne videtur par esse crimen sanguinem conculcare ac imaginem? corpus ac vmbram? quid quod hoc idem ingerit inculcátque Ioannes nequicquam obstrepentibus Capharnaitis? si Testamentum est, si nouissima verba, si Christi, si Pauli, si omnium, quid amplius expectas? mors & vita testantur, & falli times? contradictoriè lis dirimitur, & adhuc hæres? sententia toties pronuntiatur, & appellas? à quo porrò, & ad quem? à verbo, à regulâ, à supremo totius controuersiæ iudice, quo vno, vt ais, iudicas Ecclesiam, Apostolos, Angelos, & Prophetas, & quo vno iudicamus nos, non Ecclesiam, sed hæresim tuam, non Apostolos, sed vt re patet argumentóque nostro, Apostatas, ac pseudo Prophetas? Responde semel tibi ipse: fallere veritas an falli potest, tot testibus, tot textibus, & tantis? ad quem autem prouocas? ad sensum?

Aubertin Minister Charent.

III. Hoc (inquis) *sensui* repugnat, &

rationi. Quid? à verbo in causâ mysterióque Fidei ad hostem capitalem Fidei? tu præco verbi? hic cardo rerum? hæc anchora spei nostræ? Atqui Fides *sperandarum substantia rerum est, argumentum non apparentium*; nam, vt ait Augustinus, *si vides, non est Fides. Credenti colligitur meritum; videnti redditur præmium. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem*; vt Gregorius. Tu verò vis videri, vis videre, quod Sacramento latet? propterea enim Sacramentum est; Quia rei *inuisibilis visibile signum est. Ratio diuina in medullâ est, non in superficie, & plerumque æmula manifestis.* Ita Tertullianus. Cuius ille rei rationem reddit Apologetici 21. *Nam nec ille* (inquit) *se in vulgus eduxit, ne impii erro[r]e liberarentur, & vt Fides non mediocri præmio destinata, difficultate constaret.* Vnde Theologis est actus fortitudinis eximiæ. *Sicut enim* (inquit Guillelmus Parisiensis) *improbitas amorem extinguit, sic improbabilitas credulitatem. Quare nec minoris virtutis est credere improbabile, quàm diligere improbum.* Quemadmodũ charitas excitat ad amorem hominis etiam *inuisi*, quid enim mirum (inquit Christus) si diligentes di-

Occurritur obiectioni quòd nihil appareat nisi panis.

Serm. in Ioan. 68.

Homil. 26.

August. apud Gratianum.

Tertull. l.5. de resurr. c. 3.

c.1. de Fide.

ligimus? Ita Fides mouet ad credulitatem rei etiam *inuisibilis*. Quid enim nouum, si credas id quod sensui vel humanæ ratiocinationi congruit? *Qui Fidem quærit, rationem non quærit*. Quid enim Athenis & Hierosolymis? Imò si rectè perpenderis, nihil est eorum, quæ fide diuinâ creduntur, quod infinito quodam interuallo sensum ac mentem nostram non anteuertat. Sic vnitati socianda Trinitas, Virgini Maternitas, Deo Mortalitas, hoc est vita morti, mórsque vitæ. Vno verbo, contradictioni sunt omnia proxima, nedum sensui. Non possum (inquis) videns panem, cogitare carnem; itáne? tu tamen incredulus ille animóque fluctuans semper, videns Matrem, cogitas Virginem; videns carnem cogitas Deum: cur ergo pari fide videns panem, non cogitas carnem, cùm *panis sit Dei, panísque Deus*? vt optimè Augustinus. Ergo nunc audi me. Rem tibi difficilem difficiliore retexo.

CAPVT QVARTVM.

Argumentum tertium ab Incarnatione.

I. ECce Verbum Dei credis incarnatum; quo id argumento? sensúne?

Certè ad oculum, nihil erat in Corpore Christi quod non in tuo, nihil in tuo, quod non in Christi. *Sola species humanitatis foris apparebat, intus latente Sacramento Diuinitatis.* Vnde igitur aut quo nixa fundamento tanta fides est? hoc vno scilicet quod Ioannes dixerit: *Et Verbum Caro factum est.* Exinde nihil Arrium moraris oblatrantem, contradicentem, textúsque alios proferentem. Dicat, quantum voluerit figuratè hoc intelligendum. Citet eum in finem verba Pauli, *qui figuram substantiæ nuncupauit.* Citet & Christi, qui se Patre minorem fassus sit; non audis, non admittis. Quid ita? Quia verbum hoc obstat: *Et Verbum Caro factum est.*

II. Agedum, in vicem Arriani constitue teipsum, & compara virum viro, Verbum verbo. Ibi dicitur, *Et Verbum Caro factum est*: hîc autem, *Hoc est enim Corpus meum.* Expende verba, numera syllabas: idem vtrobique numerus, idem enuntiandi modus & subiecto & prædicato, & vtriusque connexione. Ibi dicitur Verbum esse Caro, hîc panis esse Corpus: vtrumque categoricè. Semel ibi dictum, hîc sæpius: ibi ab vno, hîc ab

omnibus: ibi extra teſtamentum, hîc in teſtamento, nouiſſimáque ſub horâ. Credis illud, non credis hoc, cùm difficilius ſit tamen Verbum Carnem fieri, quàm panem carne mutari. Nam ibi diſtantia Verbum inter & carnem planè infinita eſt, & contradictioni proxima, hîc panem inter & carnem, vinum & ſanguinem non finita tantùm, ſed etiam finitima; nam *habet* (inquit Cyrillus) *vinum quandam cum ſanguine propinquitatem.* Accipe nunc vim argumenti, vt ſcias viam vitámque teſtamenti?

Catech.4.

Vrgetur.

III. Si regula Fidei, ſi norma iudicii verbum eſt Dei, quid eſt quòd in pari causâ diſparem fers ſententiam, diuidens verbum à verbo, & diuiſus à teipſo? eidem concors & diſcors? hæres & hoſtis, iudex & reus, & ideò reus, quia iudex es Iudicis tui, & meus.

In pari dixi, cùm ibi cauſa ſit maior & materiâ & formâ, vt audiſti: cùm ratio repugnandi ſit ſpecioſior & textu & prætextu, vt vidiſti: quid eſt ergo cur vni credas, alteri non credas? Siquidem vtrumque ex æquo ſecundùm textum eſt, vtrumque ex æquo contra ſenſum tuum eſt. Quòd ſi in rebus Fidei ſenſu

duceris non Fide, & ſenſu tuo, hoc eſt humano; vbi eſt thraſonicum illud toties à vobis iactatum in vulgus? *Nemo mihi præſcribat, nemo doceat: ego mille Auguſtinos, mille Cyprianos non curo. Nec authoritate hominum, nec annorum præſcriptione vel latum vnguem dimoueor. Vnum habeo ducem ac magiſtrum Deum. Vnicam Fidei infallibilémque regulam Verbum. Ranæ taceant, cælum tonat.* Vbi Paulinum illud anathema, *Si vel Angelus aliud euangelizet?* Vbi Saluatoris axioma; *cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* O furorem! Non perit à lege vnum iota, & totam ſine lege, ſine authoritate ſoluit vnus idiota. Nonne tu cùm de purgatorio, déque Sanctorum inuocatione diſputaremus, aiebas, vehementérque vrgebas, vt textum ego vel vnum darem, te, ſi darem, dare manus? Ecce do non vnum, non obſcurum, non incertum, ſed talem quo neque clarior, neque certior eſſe poſſit, & non ſolùm non das manûs, ſed ne digitum quidem moues. Vbi eſt promiſſio? vbi fides? vbi iactantia tua, ſi regula Fidei verbum eſt Dei? Nónne tu vir ille es, qui argumenta repudias, rationes explodis, qui te Chriſtianum,

Lutherus vbi ſupr.

Caluinus vbi ſupr.

non Philosophum profiteris, auditor verbi, sed non factor, sed iam censor? Dicam igitur cum Prophetâ: *terra, terra, terra*, si audis, audi. Ecce loquitur tibi; *hoc est Corpus meum.* Christus hoc dicit, Euangelium refert, Paulus enuntiat, & vt post Augustinum loqueris, *cælum tonat*; authoritatem agnosce quâ pugnas, quâ triumpho: verbum Dei ratio mea est, imò tua, si qua tamen est tua, & non est in te planè mortua.

CAPVT QVINTVM.

Obiecta diluuntur.

Occurritur obiectioni primæ.

I. SEd objicis additum à Christo quasi corrigendo: *Verba quæ loquor, spiritus & vita sunt.* Ergo non est verè Corpus Christi. O mirificam argutandi sagacitatem! *Verba quæ loquor, spiritus & vita sunt*, ergo quæ dixi, non dixi. Nego consequentiam. Non cohæret. Do tibi pomum, & aio esse verè pomum, quòd si comederis, vitâ viues, quia plenum est spiritu & vitâ; quæro an ex eo quod inferam ego causam ex effectu, possis inferre tu defectum ex causâ: atqui similiter dat Christus pomum vitæ Carnem suam, & iure-

iureiurando asserit verè esse Carnem, quâ qui vescitur, non moritur in æternum. *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis Carnem Filii Hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ad cuius rei confirmationem subiungit, *Verba quæ loquor, spiritus & vita sunt*; hoc est, alia quidem caro non prodest quicquam, sed mea habet in se spiritum & vitam, quam qui manducat, non moritur in æternum. Id autem habeto pro certo, nam *Verba quæ loquor, spiritus & vita sunt.* Ex effectu (inquit) cognosce causam, & crede vera narranti. Tu verò in transuersum ex effectu colligis causæ ruinam, ex confirmatione dicti, conclusionem oppositi. Nego iterum consequentiam informem, ineruditam, exlegem. Quid dicam, quòd ne hunc quidem locum de Eucharistiâ intelligendum putas? sed de Incarnatione tantùm, de quâ si tibi opponeret Arrianus, quod opponis mihi, si concluderet, vt tu, ex eo quòd dicat verba sua spiritum & vitam esse, nec carnem prodesse quicquam, incarnationem intelligendam esse spiritualiter & metaphoricè; quantis tu sibilis ineptissimam hominis consecutionem

Ioa. 4.

Vrgetur comparatione Arriani.

S

prosequerere? ab illo ad te redi: nam etsi dispar est argumenti materia, par est tamen arguendi forma, par figura. Incarnatio fit vtrobique (nam *in manibus Sacerdotum incarnatur*, vt ait August.) & fit per totidem verba vtrobique, dissimili signo, sed eodem Sacramento. Cùm sit ergo duplex Incarnationis modus, alter in vtero Virginis, alter in manibus Sacerdotis, eiusdem vterque Verbi tum potentiâ, tum fide seu reuelatione; quare primum vis esse physicum ac *realem*, secundum autem vis imaginarium tantùm? Quid isti deest? textus an sensus? authoritas Patrum an Ecclesia? factibilitas an factum? res an causa? quicquid dixeris, æqualiter vtrique vel conuenit, vel repugnat; imò minùs in hoc laboratur, vt ostendi.

II. Obijcis vitem se dixisse, & non esse vitem. At insto ego vitam se dixisse, & esse vitam. Item carnem se dixisse, & esse carnem, veréque carnem. *Panis, quem ego dabo, Caro mea est, pro mundi vita.* Et, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternùm.* Vnde caro? vnde vita? vnde non vitis? Nunquid in testamento vitem se dixit, sicut in eo se vitam dixit? Nunquid

Ioan. 6.

illud vt hoc pronuntiauit? oculis ac manibus in cælum sublatis, & gratias agens Deo, & spiritu sublimis, & extra se raptus, & parturiens non vmbram, vt vultis, sed Sacramentum omnium longè latéque maximum? Nunquid è cælo voce delapsâ, quæ claritatem Filio hominis adpromitteret? Nunquid de rei veritate ambigentibus, hoc ipsum sæpiùs ac cum iuramento confirmauit? & verbis ritè conceptis, pérque omnes Euangelistas eodem tenore relatis, & Apostolo pérque Apostolum ad Ecclesiæ nascentis institutionem reuelatis?

III. Tum credo se vitem dixit, cùm te palmitem, & eo modo se tum vitem, quo te palmitē: an propterea negas eum verè fuisse vitam in carne, quia non putas verè fuisse vitem in palmite?

Est modus in rebus, sunt certi denique fines. Ne si ad vmbram omnia metaphorámque referantur, nihil solidi sit in Scripturâ, certi nihil. Origenem tu nonne reprehendis, quòd nolit in paradiso veram extitisse arborem verúmque serpentem? Neque enim cùm res haberi potest, circa vmbras insanis, ne sis vt stultus Æsopi canis. Stas Augustini lege, qui ad

Regula S. Aug. in interpretandâ Scripturâ.

literam interpretanda cuncta decidit, si nihil obstat, si litera non occidit. Quid, oro te, quid incommodi timendum nobis est à Carne Christi, si vti promisit, nobiscum sit vsque ad consummationem sæculi?

CAPVT SEXTVM.

Argumentum quartum à rei possibilitate.

Dilemma. I. DEnique vt vno verbo rem téque conficiam: vel negas Deum id potuisse cùm vellet, vel noluisse cùm posset. Vtrum? si primum dicis, vnde hæc omnipotenti imbecillitas, qui aquam mutat in vinum, virgam in serpentem, fluuium in sanguinem, terram in panem, panem in carnem quotidie tuam, & dum ipse degeret in terris, quotidie suam? qui omnia potest ex nihilo, omnia verbo, omnia ex omnibus, & ex omnibus nihil? *Eius est enim totum, cuius est & nihilum,* vt loquitur Tertullianus. Si secundum asseris, vnde hæc promittenti infidelitas, qui mentem suam omnibus, quibus potest, explicat modis: Sacramento, iureiurando, testamento, omnium testimonio, Apostolicâ reuelatione, minis,

iudicio, reatu Corporis & Sanguinis sui, morte & damnatione accedentium indigne? *Propterea enim* (inquit) *dormiunt multi.* 1. Cor. 11.

II. Voluntatem ergo sequitur potestas, & potestatem voluntas. Iam verò si vult & potest, quid erit impedimento, quo minùs id faciat quod vult & potest? Ecce vtrumque probo & potuisse, & voluisse: potuisse, quia est omnipotens; voluisse, quia est misericors; ait enim, *escam dedit timentibus se misericors & miserator Dominus.* Nam quid vltra requiris? Hoc porrò ita manifestum visum est etiam Luthero, vt fateatur se *contradicere non potuisse, quanquam id propter odium Papæ cuperet inprimis.* En testimonium ab hoste sanè luculentum. Fateor ego quoque (inquis) rem planè concludi, sed non capio, quâ tandem id ratione fiat. Respondeo non esse opus, vt id capias, dummodo credas, qui ideo credis, quia non capis, & ideo non capis, quia Deus multo plus facere potest, quàm tu homo capere. Dubitásne de viribus Dei? sed iterum dico, Deus est omnipotens. Tu spatia, tu locorum intercapedines, tu re-

Fides credit, non capit.

rum ambages, tu modum, tu anxius omnia prætendis, ego ſecurus ad omnia reſpondeo, & vſque vſque dico, ſed *Deus eſt omnipotens.*

Teſtimonia Patrum.

III. Audi verba, audi Patrum argumenta. Quærit Baſilius quo pacto det

In Pſ. 147.

niuem ſicut lanam? *Eo* (inquit) *quo naturas & procreat nondum exiſtentes, & iam exiſtentes in ſeſe reciprocâ viciſſitudine tranſmutat.* Quærit Ambroſius quâ vi ſit ante conſecrationem panis, poſt conſecrationem corpus? eâ reſpondet, quâ

L. 4. de Sacram. c. 4.

cælum, quâ terra, quâ fit mare. *Iuſſit Dominus* (inquit) *& factum eſt cælum, iuſſit Dominus & facta eſt terra, iuſſit Dominus & facta ſunt maria, iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt.* Vis & vox eadem clamat, *hoc eſt corpus meum.* Qui omnia potuit ex nihilo, non poteſt ſeipſum ex ſeipſo? Aiebat Virgo: *Quomodo*

Intellige ſobriè, quomodo Auguſtinus de eadem Virgine dixit, Auris maritat.

fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Cui Gabriel occurrit heſitāti, docétq; Spiritus Sancti ſuperuentu, víq; illius obumbrante, maritandam. Idem nunc quoque dubius exquiris, quomodo fiet iſtud? Reſpondet tibi non Angelus, ſed Chriſtus, *Verba quæ loquor, Spiritus & vita ſunt.*

Quod imber est (inquit Damaſcenus) *fœcunditati ſoli ex imperio Dei, hoc ipſum est huic nouæ ſegeti vis Spiritus obumbrans ex instituto Christi.* Quid plura? Gregorius Nyſſenus idem probat exemplo naturæ alimenta digerentis & in nobis, & in Christo, cùm hîc viueret. Ecce conuerſione naturali potuit tum fieri ex pane caro Christi, & idipſum non fiet tranſubſtantiatione cœlesti? fit ex aquâ vinum conuerſione ſarmenti, & non fiet ex vino ſanguis confectione Sacramenti? non poterit Deus, quod natura? in arâ quod in agro? verbo quod carne? ad ſalutem animarum quod ad valetudinem animalium? O nos ridiculos, ſi de viribus Dei diſputamus! crede mihi, imò crede illi quia Deus eſt, crede, inquam, in ſpe cōtra ſpem, in fide contra fidem ſenſúmque carnalem. *Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*; dum triumphatam vndique mentem, captiuámque veluti curru poſt terga reuinctam trahit in obſequium ſui; hic Euangelij character, hæc nota; non autem effrænis, atque in omnẽ opinationis inſanæ libidinem effuſa libertas. Tantò enim Deo quiſque propior eſt, quanto ei mente ſubiectior,

l.4. Orth. fid. c. 14.

Orat. Catechet. c. 37.

1. Ioa. 5.

cui seruire regnare est, cui credere & ipsum est sapere, & totius beatitudinis radix: fides enim æternum patrimonium est, pecunia temporale; vt, egregiè Ambrosius.

L. 1. de Sacram. c. 2.

CAPVT SEPTIMVM.

Occurritur difficultati de locorum distantia.

I. SEd quoniam agit te in transuersum difficultas illa Caluini, quâ statuit idem corpus spatiis non posse simul esse disjunctis, satis faciendum est hac in parte imbecillitati tuæ. Ac inprimis, quæro ex te, an operosius tibi videatur idem corpus distantibus statuere locis, quàm idem temporibus restituere diuersis? Plúsne repræsentare, quàm reproducere? potest hoc, non potest illud? vnde? quis omnipotenti limitem fixit? Audi Chrysostomum. *O miraculum* (inquit) *qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus contrectatur.* Ecce vir sanctissimus iuxtà & doctissimus asserit eum in cælo & in terris, sursum ac deorsum, cum Patre, & in omnium manibus, ídque miraculo! vbi

L. 3. de Sacerdot.

miraculum, ſi figura tantùm eſt? Huius porrò rei inſigne habes exemplum in Euangelio. Nam ſi in deſerto multiplicat alimenta verbo, cur non & ſeipſum eodem verbo, cùm hîc par ſit benedictio? Ego cùm loquor, ſic verbum meum diſtribuo, vt totum ſit omnibus, totum ſit ſingulis; ita diſtributum, vt non ſit diuiſum; ita miſſum, vt non ſit amiſſum; in aure ſimul & in ore; habet illud & qui audit, & qui loquitur. *Ecce* (inquit Auguſtinus) *mirabilia verbi mei.* Quid eſt ergo verbum Dei? quid eſt ergo corpus Chriſti? quid tu ſtupes in illo corpore, quod non ſtupes in tuâ voce? Multò minus in animâ tuâ, quæ quidem etiam natiuâ vi ſimul eadem eſt in capite, eadem in pectore, eadem in pede, multiplici præſentiâ ſui. Hæc eſt enim ſpiritûs naturâ, vt ſeſe pluries indiuisè per loca, pérque omnia latè membra diffundat. Sic Angelus in columnâ nubis Iſraëliticæ totis aderat præſens infuſúſque Caſtris, opilioni dux ſimul & Triario Velitíque, vnus vbique; *totus enim orbis, illorum vnus eſt locus,* non celeritate tantùm, ſed etiam, vt ita dicam, celebritate ac iteratâ frequentiâ ſui. Ergo fieri poteſt vt ſimul

Primum exemplum à multiplicatione 5. panum in deſerto.

Secundum à diſtributione vocis.

Tertium à diffuſione animæ per membra.

Tertull.

vnum & idem pluribus existat in locis etiam intra naturæ modum atque mensuram.

Ostenditur quòd nulla sit contradictio.

II. Iam verò, si semel id naturæ conceditur, quid? Deíne negabitur omnipotentię? aut eius Filio quod Angelo datur? aut in eius Carne, quod in animâ tuâ? an propterea caro non erit caro, si sæpius sit caro? destruitúrne sui repræsentatione, aut reproductione, iterando, ac quaquauersum reponendo? Postremò vbi contradictio talis ac tanta, quæ Deum superet, & Christi vota, & Fidem, & totius absorbeat Ecclesiæ fiduciam tot ante sæculis constitutam? an id Patres non videbant quod objicis? an ignorabant Concilia? Disiungitur locis à seipso (inquis) quid tum? etiámne à Deo vbique & præsente, & repræsentante? nam quid causæ sit, quamobrem in pluribus non possit id locis, quod potest in vno? cùm sit eâdem vbique virtute, æquè potens in formicâ ac in Angelo, Creator vtriusque?

Quartum exemplum à speculo.

III. Do & aliud exemplum longè facilius, atque ad omnium captum accommodatius. Contemplare rem in speculo, hoc est non tantùm in voce aut animâ

tuâ, ſed etiam in imagine tuâ: frangitur ſpeculum, & non frangitur imago, quótque ſunt ſpeculi fragmenta, tot erumpunt vultûs tui ſimulachra. Diuiditur glacies, & crebreſcit lineamentis effigies, talis in parte, qualis in totâ, integra vbique. Idem fit in Sacramento. Eſt enim myſticum quoddam ſpeculum, quia *rei ſacræ ſignum.* Porrò vt in ſpeculo duo ſunt, vitrum & imago; ita in Sacramento duo quoque ſunt, ſignum & res, ſpecies & caro. Sicut ergo diuiditur glacies in ſpeculo, illæsâ imagine: ita frangitur ſpecies in Sacramento, intactâ illibatáque Chriſti Carne. Rurſus, vt multiplex emergit effigies è ſpeculi fragmentis: ita multiplex euadit præſentia Corporis Chriſti è ſpeciei particulis. Poſtremò quemadmodum amiſſo ſpeculo euaneſcit ſpecies tua, non tamen facies tua: ſic abſumpto Sacramento deſinit Chriſti præſentia, non tamen Chriſti vita, quia *Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur.* Vides in re naturali totam exhiberi vim ſeriémque Sacramenti, in imaginis tuæ repræſentatione, reproductione, multiplicitate, denique in faciei tuæ indiuiſibili, tot inter fractiones, incorruptione.

Refellitur impanatio Lutherana. IV. Quòd si cum Luthero roges, quam ob causam, vt in Incarnatione simul est Verbum & Caro; similiter in Eucharistiâ non sit simul panis & caro? Respondebo cum Patribus, huius discriminis insignem esse, grauémque causam: quòd ibi matrimonium quoddam fiat humanæ diuinæque naturæ, & ideo vtramque coniungi: hîc autem exhibeatur spirituale quoddam conuiuium, & ideo sicut in nutritione alteram in alteram transmutari. Spiritus enim Dei fit alimento cælesti spiritus noster, & quotidiano diuinæ charitatis augmento crescit in nobis, vt dicere possimus cum Apostolo, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Alitur enim cor nostrum, non vt olim medullâ tritici, aut leonis, vt ille in fabulis Achilles, sed vt Dei filios decet, *aruinâ cæli.* Quo fit, vt *concorporales ac verè consanguineos* vniat inuicem amor æternus, vinculo ac nexu planè mirabili, naturæque nostræ omni ex parte consentaneo: sic, vt Caro Christi sit quasi vehiculum Spiritus Sancti; Spiritus autem eidem insidens, vicissim sit vt humor ille vitalis, ac animæ succus opimus, qui vires ardore concupiscentiæ paulatim ab-

Tertull. Cyrillus.

ſumptas in integrum reſtituat atque reſtauret; vno verbo *vita vitæ*. Et hoc illud eſt quod in Euangelio aiebat: *Spiritus eſt qui viuificat*. Quo quid diuinius, aut infinitâ Chriſti charitate dignius excogitari poſſit, ignoro: porrò, hæc tu ſi myſteria tanta non comprehendis, vide ne quod Auguſtinus de Catechumenis dixit, idem dicatur & de te; nam etſi fortaſſe credas in nomine Chriſti, non ſe tamen credit ille tibi. *Si rogem te, credis in Chriſtum? reſpondes, credo: at ſi interrogem, manducas Carnem Filii hominis, neſcis quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit tibi.* Itaque dimidio tantùm es Chriſtianus, vt qui dimidiatam tantùm Incarnationem credas, adhuc in vmbrâ, nondum in Sole, adhuc Iudæus in figurâ, nondum filius in ſubſtantiâ.

V. Ad extremum obiicis mihi Patres. Hîc ego tuis planè verbis reſpondeo. *Patres, Patres, Eccleſia, Eccleſia, verbo Chriſti iudicamus. Domini, non hominum cœnam eſſe cogitamus; neque veterum qualeſcunque ſententiæ, ſed Scriptura canonica regula eſt, quæ toties,* tantíſque vocibus clamat, *hoc eſt corpus meum*. Mirum! objicis mihi Patres, quos aduerſarios tibi

Satisfit obiectioni quâ opponitur à Patribus dici figuram.

confiteris? Deinde Patres; quid afferunt noui? Aiunt (inquis) esse figuram: quis hoc negat? Nam si Sacramentum est, est & signum, est & figura. Dicúntne esse figuram tantummodò, & non esse verè corpus Christi? hoc illud erat probandum tibi. Et quomodo id dicerent qui contrarium vbique docent?

Notâ. Notandum itaque cum Eusebio tres esse statûs corporis Christi, *quæ sunt* (inquit) *tria Tabernacula Christiani: vnum merè figurale, secundum figurale simul & verum, tertium absque figurâ in nudâ veritate.* Primus status fuit ante Christum in figuris Synagogæ, secundus post Christum in Eucharistiæ Sacramento, tertius cum Christo in eius Incarnatione. Sicut ergo ad distinctionem secundi statûs à primo non sufficit dici figuram, nisi dicatur & corpus; sic ad distinctionem eiusdem secundi statûs à tertio non sufficit dici verè corpus, nisi dicatur & figura corporis. Vtrumque autem asserunt Patres, idq; multis in locis. Ita Tertullianus ait esse figuram, ita & Augustinus. Nam eodem planè modo figura est corporis Christi, quo Sacramentum, quo signum est eiusdem corporis Christi. Sicut ergo

poſſunt iſta duo iungi, res & ſignum, ſic & iſta duo; corpus & figura; vt egregiè probat Cardinalis Perronius, qui & veſtra non ſecus ac ad ignis odorem ſtuppę filą diſſoluit; ego actum non ago. Vnum hoc, vnũ è Gregorio Neocæſarienſe ſubiiciam quod in vos apprimè quadrat. *Generoſi iſti* (inquit) *volentes vſum venerabilium imaginum demoliri, aliam introduxere imaginem quæ non eſt imago, ſed corpus & ſanguis.* Ita vos imagines, etiam cùm deſtruitis, extruitis. 7. Synod. actio. 6. tom. 3.

CAPVT OCTAVVM.

Pars prima concluditur.

I. VIdes itaque hanc primam controuerſiæ partem vndique conſtabiliri, exemplo, ratione, authoritate, fide: nos & verbo Chriſti niti, & carne: verbo, quia dixit; carne, quia ſe ſibi in Incarnatione exemplum quaſi præſtruxit, cùm huius illa ſit, vt ait S. Thomas, extenſio, vel vt Auguſtinus, inſtauratio, *in quorum* (inquit) *manibus* (Sacerdotum) *velut in vtero Virginis Filius Dei incarnatur.* Probauimus vtrumque, ſimúlque Caluinum Arrio parem hæreſi, im- *Concluſio.* In Pſ. 77.

que

parem argumento. *De veritate carnis & sanguinis* (vt Hilarii verbis cõcludam) *non est relictus ambigendi locus. Quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus.* Vidisti Deum id posse, simul & velle; posse, quia sit omnipotens, velle, quia promisit; quòd si vult & potest, an adhuc eris de numero eorum, qui (vt notat Magnes ad Theostenem) *stupidâ mente nugati sunt esse figuram?* Attende dictum, appende dicentem; antiquitas authorem commendat, veritas authoritatem;

L. 8. de Trinit. ante medium.

L. 3.

Infertur adorandum Corpus Christi in Eucharistiâ.

II. Iam verò si semel statuerimus altari Christum interesse præsentem, quid? Indignúmne tu censebis eum, qui præcipuo tum animi, tum corporis obsequio colatur à nobis? An propterea sacrilegos, insanos, pestilentissimo errore delusos improperio jactabis illo quidem non insolenti, quia mos est vester, sed impudenti tamen, quia contra ius omne, inauditos inoratósque damnatis? Quæro enim à vobis, in quo tandem insania nostra residat? in quo sacrilegium? aut ille pestilentissimus error? Quiáne Deo præstamus obsequium, & viuenti,

&

& videnti ? nec Deo solùm, sed etiam scabello pedum eius iuxta Prophetam. *Inuentum est enim* (inquit Augustinus) *quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, vt non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Per terram autem* (eodem antè sensu dixerat Ambrosius) *Caro Christi significatur, quam hodie quoque in mysteriis adoramus; & quam Apostoli in Domino Iesu adorauerunt.* Quid tu ad hæc ? fortasse contemnis Augustinum, & hominem non curas, Ambrosiúmque similiter ? Atqui rem vterque definit ex Regii Vatis oraculo. Ait enim, *Adorate scabellum pedum eius*, nimirum carnem Christi.

In illum locum. Psal. 98.

L. 3. de Spiritu c. 12.

III. Enimuerò si legimus arcam à Iudæis adoratam iure fuisse, quòd ea corporis huius esset olim figura, si tanti vitrum inquam, quanti margaritum æstimare nos oportet ? quid ? an illæ noctuæ volabunt ad vmbram, crepusculáque lucis orituræ ? aquilæ autem cæcutient ad Solem iam exortum ? cùm dictum sit tamen, *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Denique instabo cum Martyre Iustino. *Quid maius* (ô Iudæi)

Vrgetur.

arca an homo? Et talis homo, qui Deus ſit & homo? an hunc quoque ſtatues eſſe lapſum, ſicut & præter te cæteros omnes? Ergo quoniam ex æquo repellis vniuerſos, ipſum ego Caluino Lutherum, Lutheróque Caluinum, imò Caluino Caluinum, te tibi impingam. Ecce Caluinus fatetur adorandum, ſi præſens ſit altari, Lutherus contrà negat: iſte præſentiam admittit & probat; ille reuerentiam, & conuincit; hoc eſt dimidiatam vterque veritatem, & vterque conuincitur. Ego enim duos hos babylonios iudices, qui Matrem noſtram, Eccleſiam dico, adulterii inſimulant, cum Daniele ſic inuado. Hic refert vidiſſe ſub Schino, ille ſub Prino; hic vult adorandum, ille præſentem; alterum alter fatetur, alterum alter negat, neuter conſentit. Exinde ſucclamo manifeſtam eſſe calumniam, falſum teſtimonium; iniuriâ condemnatam non filiam Iudæ, ſed matrem Iſraël. Quid deinde? *reuertendum eſſe ad iudicium*, & lege talionis pœnam in authores omnium manibus eſſe referendam. Et quam illã? quam tu iam egregio facinore retuliſti, deſerendo, ac cum populo Dei adulteros lapidando.

Opponitur Caluino Lutherus, & Luthero Caluinus.

IV. Dulce enim & decorum est lauare manus suas in sanguine peccatorum, quando non alia spes affulgeat; *Vtinam* (inquit) *& abscindantur qui vos conturbant.* Vtinam & conuertantur tamen, & lapidetur non errans, sed error, sed hæresis; contra quam vnam ardor est meus: nam homines amo, cùm sim homo, & multò magis Christianos, cùm sim Christianus, pro quibus optabam ego quoque anathema esse à Christo, vt & ipsi salutem consequantur. Nam cùm miserrimum sit hanc inter eiusdem olim Fidei membra diuulsionem tot iam annos pati; tum fœdissimum mihi visum est semper, ita diuidi Christum inter nos, vt sub eodem nomine, sub iisdémque signis, aliis ludibrio sit, aliis religioni. Neque refert quod excusetis eius præsentiam, non credi à vobis, cùm nulla sit ratio iusta non credendi, vt ostensum est; quemadmodum igitur non minùs est ille reus qui Patrem ideo non reueretur, quia Patrem iniuriâ non agnoscit, quàm ille qui cùm Patrem agnoscat, debito tamen honore fraudatum abjicit; ita par est crimen & Caluini non agnoscentis, & Lutheri non reuerentis; imò si quid est dis-

Charitas Authoris in aduersarios.

Galat. 5.

criminis, in hoc vno versatur, quòd hunc Angelus à matre mediũ secuit, illum etiã totum. Primum quippe crimen læsæ Maiestatis est suum abdicare Regem, occinendo cum infidelibus Iudæis; *Noluimus hunc regnare super nos*; quacunque sub specie fiat, CARNIS vel PANIS. Maneat igitur iniuriam non posse fieri carni sine iniuriâ verbi: hoc illam defendi; hoc illâ monstrari. Neutrum ab altero posse diuelli sine Fidei non imminutione tantùm, sed etiam exinanitione.

PARS SECVNDA.
De Sacrificio.

CAPVT NONVM.
Difficultas proponitur.

Ferry Metensis Minister.

I. NVnc de Sacrificio pauca quædam attexam, vt eum tibi scrupulum aliquando eximam, quem è vestris nonnulli grauissimum putant. Sic enim arguunt. Non est vero Sacrificio locus, vbi non est hostiæ verus occasus; victima enim dicitur, quòd victa ante a-

ras occidat. *Sine sanguine* (inquit Apostolus) *non fit remissio.* Atqui nihil est hîc, quòd verè occidat. Nō panis, *nunquid enim panis* (vt rectè Tertullianus) *pro nobis crucifixus est?* Non Christus: *iam enim non moritur.* Non vtrumque: neutrum enim idoneum est. Aufertur ille quidem, at non offertur; offertur iste verò, at non aufertur. Diximus infringi speciem & illidi, infracto illæsóque corpore; si non læditur, quanto minùs mactatur? Aut quomodo denique libari potest, quod omni prorsus ex parte illibatum est? Hebr. 9.

II. Nam quod astruimus, esse sacrificium incruentum, idem est (inquiunt) ac omninò nullum: vt cùm dicitur homo pictus, destruitur secundo termino, quòd asseritur primo; idem enim est ac non homo; quia verè non dicitur, quod verè non est. Ergo quæri potest à nobis vt olim, vbi est victima? Sic illi. Ergo & responderi à nobis, vt olim, *Dominus prouidebit fili mi.* Iámque prouidit æternam, immensam, immensíque valoris. Sic & nos. Attende tantùm, vt arietem inter hæresis tuæ spineta videas vsque cornibus hærentem, & pro te gaudeas esse pendentem, & nos ipsi quoque gau- *Instant.*

deamus factum esse te inde prudentem, substitutionis insperatæ tanto miraculo, tantóque conuersionis tuæ, quâ cælum & terra triumphant, argumento.

CAPVT DECIMVM.

Responsio prima ducta à Fidei naturâ.

I. NAm, vt hoc interim dicam, tametsi nodum hunc ego faterer esse Gordium, hoc est inextricabilem, méque non esse soluendo: forsitan vt in salebris hæreret aqua mihi, non tamen Fides. Quanta sunt enim in Fide, quæ nesciuntur? Non capio, quâ ratione idem sit vnum & tria: an propterea Deus non est trinus & vnus in patriâ, quia latet in viâ? Non intelligo quo ineffabili medio Verbum ita carni sit vnitum, vt cũ eâ sit vnum, contubernio, collegióque carnis & spiritûs inexcogitabili: an propterea non habebit hunc nodum, quia ego miser non intelligo modum? Non comprehendo quî fiat vt in origine meâ sim ego antè damnatus quàm natus: an idcirco non erit verum, quia non capio rudis hoc verbum? Exigimur Fidem, non scientiam: intellectum in obsequio cap-

Fidei natura.

tiuum, non in officio curiosum. *Nobis enim post Euangelium curiositate non opus est,* quę non peritum, sed reum facit, vt optimè S. Zeno. Iam aliàs dixi tibi. Oues non disputant, sed sequuntur, quocunque Pastor vocat, eius oculis vident quod vident, imò quod non vident, credunt tamen. *Satis sit pro vniuersis rationibus author Deus.* Tertull. Saluianus.

II. Ergo quantumuis ignorarem, quonam id pacto fieri possit, vt idem mactetur & viuat, stet & simul cadat, haud propterea titubaret Fides mea, quia caligaret scientia mea. Audirem enim adhuc Christum in Euangelio dicentem, *Hoc facite*, id est sacrificate, vt probè norunt omnes qui latinè norunt. Attenderem Lucam in Actis de Apostolis referentem. *Ministrantibus autẽ illis*, λειτουργούντων id est sacrificantibus, vt probè norunt omnes, qui Græcè norunt. Aures animúmq; admouerem Prophetæ de Christo canenti, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quod quidem omnes Patres de hoc iugi perpetuóque panis & vini sacrificio passim intellexere: in quo Christus (vt loquuntur) simul est offerens & oblatio, Sacrificium *Testimonia Scripturæ.* Act. 13. Psal. 109.

L. 1. cōtr. aduersar. legis. & l. 10. de Ciuit. Dei c. 20. C. 1.

& Sacerdos. *Semel* (inquit Aug.) *immolatus est in seipso, quotidie immolatur in Sacramento.* Postremò acquiescerem Malachiæ vaticinanti; *In omni loco mihi sacrificatur & offertur oblatio munda.* Vbi munda? vbi in omni loco? ante legem? an in lege? Synagoga non habuit in lege locum nisi vnum; ante legem ne vnum quidem. Ecclesia sola cùm Catholica sit, omnem habet locum, quæ pro templo habet mundum, pro mundo cælum, pro vtroque Christum, qui est in omni loco oblatio munda mundo. *Habemus* (inquit Apostolus) *altare.*

Heb. 13.

Probatur ratione.

III. Habemus, non habetis. Vos enim iacetis, vt nunc Iudæi, sine Sacerdotio, sine Sacrificio, exsucci & verè exangues, quia sine Sanguine Christi verè angues, quibus est sola terra cibus, cæleste manna fastidientibus. Deest hostia, deest & ara. Miseri, qui nec agnum, quem comedatis, nec quem immoletis, habetis. Quæ porrò religio potest esse, si nullo Deum Sacrificio colat aut adoret? Cùm hæc duo sese mutuò ita complectantur, vt neque Sacrificium sit sine verâ Religione, neque vicissim vera Religio sine Sacrificio. Hoc est enim Regis Regum

quaſi vectigal; vt quoniam ab illo tanquam ab origine pendet omnium vita; tali victimę ſupplicio beneficium, quoad poteſt acceptum illi pro virili referatur. Quâ quidem in re conſenſere omnes omnium temporum, omniúmque nationum conſuetudines. Sic, vt nulla gens ab omni retrò memoriâ tantæ cæcitatis extiterit, quæ Deo non faceret aliquando. Hinc illæ fratrum ab ipſis iam inde mundi naſcentis incunabulis pro Sacrificio lethales rixæ. Hinc ſacra, ritúſque ſolenni de more Gentiles. Quare non tam anxius eſſe debes, quonam Sacrificio diuina maieſtas colatur à nobis, quàm quòd nullo colatur à vobis; conſcientiæ iudex alienæ, propriæ reus. Quæris vbi victima noſtra, & ego quæro viciſſim vbi veſtra? vbi Religio? vbi Deus in vobis? Exprobras nimiam, vt vocas, inter nos Religionem, ego queror nullam inter vos. Tu cerimonias, tu Pontificia, adeóque iura diuina reprehendis; Ego, quòd Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, reddens, Deo, quæ Dei ſunt, non reddas iniquiſſimâ partitione. Denique tu curas noſtras arguis, ego incuriam, ego iniuriam in Deum veſtram, & quen-

dam, vt ita dicam, *atheiſmum* hoc eſt obliuionem Dei, rerúmque diuinarum perpetuum intra templa veſtra ſquallorem.

Euchariſtia Sacrificium Eccleſiæ neceſſarium.

IV. Et quidem vita noſtra cùm ſit in horas obnoxia Deo sẽper, prima debebatur; noſtro (inquam) ſanguine litandũ erat. Sed indulſit clementiſſimus Pater, conceſsítque aliã aliunde ſubſtitui; quam illã? & vnde? taurúmne an hædum? *Plenus ſum:* (inquit) *vetera tranſierunt.* A figuris itum eſt ad veritatem. Deo Deus quærebatur, & occurrit Sacrificio; *victimáque perenni*; neque commemoratione Crucis tantùm, ſed eius etiam continuatione; atque vt ita loquar, commoratione. Ipſe ſibi ſignũ eſt; ipſe datur in theatrum author & actor, res & figura. Itaque non interficimus nos quidem, vt vos dicitis, conficimus tamen, atque ad regias Agni dapes, ſtolis amicti candidis magno ipſi gaudio concurrimus vniuerſi. Ibi ſacrum ſanguinem, ibi diuini membra corporis, proh pietas! ipſe ipſe Sacerdos amor immolat. Et hæc eſt conſolatio noſtra; hic triumphus, hæc gloria in excelſis, habere Deum inter nos & offerentem ſemper & ſemper oblatum. *Hæc eſt* (inquam) *religio victimæ quam*

Aug. Tract. 26 in Ioan.

constituit Dominus. O signum vnitatis! exclamat Aug. *O vinculum charitatis! qui vult viuere, habet vbi viuat, & vnde viuat: viuit de Deo in Deo, incorporetur vt viuificetur. Videte fratres, si amplius ægrotare debet genus humanum, acceptâ tantâ medicinâ?* Nam huius beneficio, *concorporales* (vt loquitur Cyrillus) *ac Christo consanguinei sumus.* Ipse clamat: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Sicuti enim, *Si quis ceram ceræ colliquauerit, alteram cum alterâ per totum commisceat necesse est; sic qui Carnem & Sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso sit, & ipse vicissim in Christo. En vim amoris* (inquit Chrysostomus) *semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, sed & ipsâ re nos suum efficit Corpus. Quot nunc dicunt, Vellem ipsius formam aspicere, ipsum illum ecce vides, ipsum tangis, ipsúmque manducas.*

Aug. homil. 24.

Catechef. 4.

CAPVT VNDECIMVM.

Responsio secunda. De duobus modis immolationis.

Explicatur primus.

I. VErùm vt ad difficultatem initio propositam aliquando redea-

mus; dico Fidem fide astrui, non ratione. Est enim Fides argumentum non apparentium. Habeo cui credam. Hoc sufficit. Christus, Apostoli, Prophetæ loquuntur, annuntiántque Sacrificium in omni loco. Nihil requiro amplius. *Fides enim quæ quæritur, non est Fides.* Addo etiam ex vestro, ranas hîc tacere debere, quando cælum tonat.

Ergo si respondero tibi me id nescire quod petis, quia petis quod credo, & credo quod non scio, nónne satisfeci præsertim homini, qui glorietur habere se pro vnicâ regulâ Fidei vnicum verbum Dei? Quid me vrges ampliùs, tot vadibus cinctum, quot tu vadis? Ego vel vno vnius testimonio possum absoluere & absolui. Ego authoritate Verbi nitor dicentis, Hoc Facite. Habeo Acta pro me, habeo Prophetas, habeo Apostolos, habeo Patres. Denique pugnas argumento, ego vtroque testamento, non in causâ Philosophiæ, sed in mysterio Fidei: aduersùs hominem qui non plus in hoc negotio requirat quàm Scripturam, in quâ vt audis, est Sacerdos in æternum, & æternus: est iuge Sacrificium in omni tempore, & in omni loco. Quid plura?

Deus mecum eſt, totus meus, & totus, vt mox intelliges, in meos vſus expenſus. Ergo & victoria mecum, quæ ſequitur Deum ſemper, & vbique.

II. Eſt tamen, eſt omnino quod adhuc in hanc rem afferam. Fortaſſis enim difficultas iſta non eſt tanta, quantam exiſtimas, tu qualiter hunc ego nodum expediam, animaduerte.

Proponitur duplex modus immolationis.

Duobus hoſtia modis confici poteſt: vno, ſi planè moriatur: altero, ſi pro mortuâ derelinquatur. Habes huiuſce rei formam ac exemplum geminum in lege caprum, quorum alter occiſus, alter tantummodò *emiſſarius*, vterque tamen immolatus, etſi non vterque pariter occiſus. Nam qui in deſertum emittebatur, pro derelicto tantùm habebatur, ſed non ibi mactabatur. Tu qui figuras amas, figuram agnoſce vtrumque, ſed Chriſti tum in Cruce planè occiſi, tum in arâ tanquam occiſi, ſtantis tamen; imò vtroque modo inter aras immolati. Nam & cùm in Sacramento conſumitur, quodammodo occiditur, & cùm in eodem conſecratur, ita ſub ſpecie conſtituitur, vt pro mortuo, próque derelicto habeatur. Explicanda ſunt iſta, ne ſi non ca-

piantur, non nodum ſoluiſſe, ſed nodum nodo inuoluiſſe, effugiúmque laboranti cauſæ quæſiiſſe videamur. Dicam primùm de conſumptione, tum de conſecratione,

Explicatur primus modus.

III. Aio in arâ, Chriſti Corpus ſpecierum conſumptione, miro fateor modo, vero tamen ac ſacroſanĉto conſumi. Tu, vt rem aſſequare faciliùs, finge hominem geminæ vitæ, quarum altera ſit in Indiâ, altera ſit in Europâ; ita tamen vt Indicus ille homo ibi pro ſuâ Fide erigatur in crucem, Europæus autem hîc pro ſuâ virtute eligatur in Regem. Sit alter in neruo, ſit alter in ſolio: imò quia non eſt alter & alter, idem ſit in neruo ſimul & in ſolio, hîc Rex, ibi Martyr. Ecce in vno homine habes eandem vitam verè immolatam, & tamen adhuc extantem; quæ ſimul inquam ſtet & cadat, ſtet in vno loco, occidat in alio. Poſſe autem multiplicibus extendi ſpatiis, atque diffundi, vel certè ſine diffuſione ſeu diſtenſione replicari, probaui antea multis tibi modis.

Iam ab hoc exemplo recurre ad veritatem. Statue Chriſtum illum eſſe hominem geminæ vitæ, quarum altera regnat

in cælo, altera delitescit in Sacramento: illa gloriosa pro suâ virtute, hæc à nobis consumpta pro nostra Fide. Nam reuera sic consumitur, vt penitus desinat esse, defunctus & Sacramento, & toti huic etiam mundo. Ergo verè immolatur, vt qui verè vitam amittat, quam habet apud nos. Ex accidenti enim est, quod vltra Sacramentum, vltra hunc mundum aliam habeat, imò eandem, sed alio loco, aliáque conditione constitutam; nimirum immortalem illic, hîc non mortalem quidem, sed tamen instar cibi consumptibilem, & ideo victimabilem. Quare cùm per verba consecrationis ad hoc mysticæ mortis genus iam tum hostia destinetur, etiam per illa verè immolari dici potest. Eo enim primùm articulo pronuntiatur à Sacerdote sententia mortis, ac quæ deinde sequuntur, illius executoria sunt, Sacrificiíque consummatiua.

IV. Vides igitur, vt opinor, sentísque, si sensum tamen habes, quâ ratione idem Christus stet & cadat, in aulâ suâ Rex, in arâ nostrâ Martyr, Sacrificio quidem incruento, non tamen, vti volebas, nullo. Non enim negabis eam vitam verè im- *Concluditur argumentum.*

molari, quæ verè consumitur, veréque desinit; verè autem consumi veréque desinere consumptis speciebus, patet: quia tamdiu durat sub Sacramento, quamdiu Sacramentum est, illo desinente desinit, quo extat extante.

Nec refert quòd eius Corpus supersit in cælo post Sacrificium. Nam & hominis cùm occiditur, etiam anima restat post homicidium. Sicut ergo sufficit animæ superstitis à corpore seiunctio ad antiquæ Legis immolationem; sic ad nouæ sufficiet quoque corporis à specie separatio, licèt aliunde superstet ad vitam. Illic anima non moritur, sed discedit; hîc etiam corpus non extinguitur, sed desinit, pari vtrobique absentiâ, pari defectione. Vnde cùm idem sit immutationis modus, idem etiam sequitur immolationis effectus, holocausto semper consumpto, semper incōsumptibili. Hæc est illa, quam celebrat Isaias, *adinuentio* Dei tantò mirabilior, quantò vobis est ipsa vilior. In hoc enim elucet immensa charitas Christi, quòd vestri scandali iamtum præscius, Iudaicíque iamtum conscius, haud abstitit tamen, quò minus & crucem in excessu quem completurus erat

in

in Hierusalem, & altare in successu quem suppleturus erat in omni loco, ad eius perpetuam instaurationem, æqua Deo victima conscenderet, opprobrium hominum & abiectio vestræ plebis diu futurus. Si enim, vt ait Bernardus, *non transeunt opera nostra, sed velut æternitatis semina iaciuntur*, multò minùs opus Dei, & opus tale, quo nullum est maius, fluxum ac transitorium esse oportuit. Hinc videt in cælo Ioannes diu post tormenta Crucis, quin & post resurrectionem Agnum tanquam occisum & stantem, vbi stantem? vbi tanquam occisum? nimirum inter sacra quatuor animalia clamantia vt in Sacrificio, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbahot.* Et vbi ista fiunt? in cælo? At ibi stat, sed non occiditur. In Cruce? At occiditur & ibi non stat; Ergo in Sacramento, vbi sic stat vt desinat esse, & rursus sic desinat, vt stet adhuc. Habes itaque & stantem & quodammodo occisum.

V. *Hæc est mea magna Philosophia, scire Iesum* etiamnum *crucifixum.* Vilescat ille vobis in dies magis atque magis. Grassetur omnium incertus furor præterquam sui; exponátque canibus Sanctum San- *Vrgetur conclusio.*

ctorum, porcísque margaritum abligurriendum vsque porrigat, aut pedibus insano more conculcet; mihi certè tantò charior erit, quantò vobis abiectior, occurrétque meus ignis igni perenni perennis. Æmulabor Deum meum, & vt ille sempiterna victima est. sic adorandi mihi finis haud vnquam est futurus. Insuper & vicem vestram ego lugebo, dolens quòd positus sit in ruinam vestram, & in signum cui contradicetur; exclamans: *Ecce manus tradentis cum ipso est in mensâ, verumtamen væ homini illi per quem Filius hominis tradetur. Quid enim mundo tàm periculosum, quàm non recepisse Christum?*

Hilarius comm. in Math. c. 18.

CAPVT DVODECIMVM.

De secundo modo immolationis.

I. NVnc ad aliam huius explicationis partem animum orationémque conuerto. Non enim tantùm in consumptione specierum immolatur, sed etiam in ipsâ consecratione, per quam ita constituitur in Sacramento, vt sit adinstar hominis positi in monumento. Audi quid dicam, & cape, si potes: *non*

enim omnes capiunt verbum iſtud.

Conſtat inter omnes vitam quæ à corpore pendet, ſpatio interuallóque indigere, quo ſemetipſam explicet exerátque, tum vegetando, tum ſentiendo, tum denique ratiocinando. Neque enim creſcere vel ali poteſt, niſi ſit ſpatium, in quod alta creſcénſve ſe effundat. Multò minus ſentiet, ſi ſit in puncto. Ratiocinari verò nullo modo poteſt abſque phantaſmate. Porrò phantaſma cùm ſit imago corporea, inſidere puncto minimè poteſt. Ergo ſine ſpatio ſpes exercendæ nulla vitæ eſt, qualis illacunque tandem.

II. Iam animaduerte Corpus Chriſti in quolibet hoſtiæ puncto ita compactum, vt ſine ſpatio ſit adinſtar ſpiritûs, totum in toto, & totum in qualibet parte, indemenſum. Ergo deſtitutum ſenſu exercitióque totius planè vitæ. Ergo in Sacramento non ſecus ac in monumento. Hoc enimuerò eſt, quod dicimus immolari. Quæſo te, ſi victimæ immutationem interuenire neceſſe eſt, quantam hîc habes? Compara virum viro, dico Chriſtum Chriſto, Chriſtum regnantem in cælis, Chriſto ſepulto in aris. Proh Deum immortalem! quantùm hic mu-

Explicatur ſecundus modus.

tatus ab illo est? Tu si perpetuo carceri mancipatus esses, si tenebris ac caligine obsitus, si sine sensu, sine pulsu, sine halitu, censeres te inter viuos? O qualem Deo victimam! ille immortalis, ille omnium Rex & Caput, sic est inter nos, vt neque videat, neque videatur, mutus, cæcus, exanimis, elinguis, quid plura? Dicerem truncum & vitæ simulachrum, quod aures habet, & non audiet; oculos, & non videbit; manus, & non palpabit; pedes, & non ambulabit. Dicerem hæc omnia, nisi scandalum rursum timerem à vobis. Sed non est timendum, cùm sit scandalum Crucis. Quid enim est Sacramentum, nisi Crucis, vt iam dixi, perennitas? Quoties consecratur, toties crucifigitur. Ego autem id erubescerem, quod neque Apostolus erubuit, neque Christus? qui hanc etiam suam sæpè gloriam appellat? O nouam sacrificandi rationem! ô mirum immolationis genus! vbi nihil relinquitur Christo præter truncum, vbi tot in arâ sunt omnium eius sensuum holocausta, quot in horâ currunt à primo die ad extremum vsque, vitæ momenta, quótque sunt vitæ momenta, totidem repetitæ mortis inclyta

monimenta. Denique vbi totùm Corpus eius, *Corpus est* (vt loquitur Rupertus) *Sacrificii.*

III. Expende quid dicam. Non nego Christum prout est in cælo, esse oculum mundi atque mentem. Ipsum quoque prout est in Sacramento, habere, vnde viuat, sensum atque vitam, omniáque insuper intueri prout est Deus, imò etiam vt homo, *notitiâ* saltem (vt loquimur) *supernaturali.* Sed tantùm dico sensum hunc atque vitam in Sacramento non secus ac in tumulo esse constrictam, interdicto quodammodo subiectam, vsu destitutam suo, exercitióque suspensam, ac propterea verè immolatam tali ac tanto Sacrificio, quale ac quantum nunquam fuit, nec esse potest. Nulla est enim dies, nulla Ecclesiæ sedes, vbi Deo Deus non occurrat; quid dico autem? nulla est ara, nulla est hora, in quâ Deo Deus non occumbat. En mysterium, & vt ait S. Thomas, en miraculorum omnium longè latéque maximum, cuius contemplatione sic in eius amorem accendor, vt si mille mihi vitæ totidem in corporibus igneæ veluti lampades arderent in conspectu Domini, nunquam eas tanti bene-

Exponitur in quo consistat hic modus.

ficii recordationi pares putem. Quid enim? Fit Deo, fitque Deus. *Inconsumptibilis hostia* (sic enim Patres) indesinenter propter me consumitur. Immortalis vita quotidie & in singula momenta pro meâ salute sic moritur. Denique hic est iterum diuinus Agnus stans & occisus in medio throni: hic est ille mysticus & legalis hircus anathema Deo & populo. Hæc illa vitula rufa, cuius adhuc cinis in tabernaculo custoditur ad sanctificationem Israëlis. O charitas immensa! quonam vsque descendis? *Verè Iesus cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Sed in finem sine fine: vbi enim inaudieram ipsum in Cruce clamantem, *Consummatum est*, ibi finem, ibi consummationem adesse credebam. Sed Auus antè de Nepote prædixerat, *Homo., cùm consummaucrit, tunc incipiet*, initio in finem reuocato, & instar alitis Arabiæ fœlicis inter amoris incendia semper oriens, sempérque moriens sibi & nobis. Quæ me charitas ita totum id sese rapit, vt quoniam ipse se impendit mihi & totum & toties, totus etiam impendar illi & superimpendar, victima victimæ meæ, & tanti si non æstus, at saltem refluxus amoris. Nam,

vt olim Seneca, qui totum dat, totum petit. Vnum hoc enim ambio, vt Christum lucrifaciam, te autem non miror, si *gelicidio* sectæ tuæ iamdudum algeas, qui tanta mysteria ne credis quidem, & redemptionem præterea credis vtcunque, truncam ac dimidiatam causâ & effectu, denique ad vnicum temporis momentum redactam, cùm sit, vt vides, æterna, simul & immensa.

l. de Beneficiis.

Guillel. Paris.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Conclusio secundæ Partis.

Arrogans dictum aduersariorum reprehenditur.

I. EXpostula deinde, exquire audacter à nobis, vbi sit victima nostra? Ego vicissim requiram à te vbi sit spes vestra sine hac victimâ, quâ solâ litandum est? & sine quâ ne religio quidem est, vt audisti. Vociferare cum Caluino contumeliam esse Crucis, stultúmque commentum quod tam hominum mentes, quàm Christum pani affigat: addere debebas, quod tam hominum mentes quàm Christum Cruci affigat, hæc est origo contumeliæ, hæc stulti commenti prima pars. Gloriare cum Luthero te scire lapsos Apostolos, lapsósque Pro-

phetas; te porrò vtrosque verbo iudicare, ipsámque adeo Ecclesiam non militantem modò, sed triumphantem etiam, nimirum Angelos. Ego verò te, si hoc animo es, accipio non vt Apostolorum iudicem, sed vt Apostatarum facilè principem, atque vt alterum in terris superbientem Luciferum. Quid enim? tu omnium hominum miserrimum ac nouissimum caput Apostolos verbo iudicas? tu Prophetas? tu Ecclesiam? tu Angelos? Enimuerò vnde hæc tibi iudicandi potestas? Quis te constituit Ecclesiæ iudicem? Non audis Petrum in Epistolâ monentem *quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fiat*? Non audis Christum in Euangelio minantem, *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Nam quomodo illam audias tu, qui illam verbo, hoc est sensu tuo iudicas, atque adeo vt adulteram condemnas, populóque lapidandam iniquissimâ sanctione decernis?

Instatur exemplo. II. Cæterùm vt hanc consceleratissimam agendi rationem exemplo domestico reuincam, dic, quæso te, mihi, si tibi domi filius, aut etiam ex infimo genere seruulus esset, qui sese gloriaretur &

Patrem, & Dominum, & totam denique familiam verbo iudicare, túne mutus hâc hominis insani grandiloquentiâ contentus eâdémque contemptus acquiesceres? Ecce geminus Ecclesiæ verna, quorum alter à Monasterio vagus & extorris, alter à ministerio in exilium pulsus, se matri, se Apostolis diem dicere, se toti denique familiæ Christi quanta quanta est, infamiam verbo creare, gloriatur, ac contra statuta Patrum, contra sensum, vsum, consuetudinémque totius orbis, se sapere; errasse vniuersos, ac tanta sæcula post hominum memoriam ignorauisse quod ipsi docent; & hæc tu velut è tripode responsa venerabundus accipis? O te prodigum tui!

III. Quòd si pars in dubiis (hoc non ignoras, quod sæpè iam obiectum est à nobis) & tutior, & melior eligenda est: certè nihil hac tutius, quam & manifesta necessarii Sacrificii, vt ostendi, ratio persuadet, & authoritas Scripturæ, Patrúmque omnium etiam confitentibus vobis commendat; propterea enim clamatis *Patres*, *Patres*, *Ecclesia*, *Ecclesia*; aliunde nihil est illâ melius quæ Christum non pani tantùm, sed tibi multò

Tutior pars eligenda.

magis affigit, tuæque saluti. Quid enim non impetret à Deo Deus Sanguine suo? aut quid non speret homo tanto pretio & toties dato, & toties accepto? Iam difficultas si qua tibi restabat, ex dictis omnis euanescit; & quanquam id animo nullo modo comprehenderes, audisti Christiani non esse scientiam sed Fidem. Quę cùm ita sint, quid esse causæ putem, cur à vobis tanta Christi charitas, tantáque gratia non solùm cum eâ quâ par erat, animi grati sollicitudine non recipiatur, sed etiam cum immanissimo furore, phanaticorum in morem, vndique deturbetur? Fortasse dices, obsequium vos putare in hoc præstare Deo? Idem & Scribæ putabant, etiam cùm affigerent Dominum Cruci; neque nouum est, vt hæretici furorem suum in Angelum lucis transfigurent. Sed vt Scribæ mraculis Christi confundebantur, ita & vos eiusdem oraculis, quæ in vtroque testamento pro vtraque controuersiæ parte, quamplurima congessi. Sed iam aduertenda portui prora, veláque contrahenda nobis.

CAPVT VLTIMVM.

Conclusio totius Controuersiæ.

I. DVo enim, quæ postulabantur à me, luculenter exegi; nempe præsentiam Corporis in Sacramento, & eiusdem absentiam in Sacrificio. Vidisti Christi Corpus illic planè confieri, isthic planè confici, & ex vtroque Fidem plenè construi. Nos sanguinem eius, nos carnem, nos in hac æternâ tum victimâ tum escâ testamentum eiusdem atque merita possidere. Quod probaui tibi primùm ex formulâ ritúque testamenti; tum ex verbis claris ac dilucidis eodémque tenore semper relatis. Adieci comparationem huiusce mysterii cum incarnatione, cuius Eucharistia sit ipsa velut appendix, aut *conseruatio*. Vt enim hæc beneficio creationis succedit, quò eam subinde perpetuet; ita sic illa primæ redemptioni succedanea est, atque vt ita dicam CRVCIS HÆRES, quam etiam & commemoratione, & eiusdē repetitione perennat. Ostēdi quâ ratione possit idem esse signum sui, author & actor. Neque difficilius Deo esse, eandem rem multis *Repetitio primæ Partis.*

in locis repræsentare, quàm diuersis temporibus reproducere. Quod exemplis animæ, vocis, & speculi confirmaui, multísque aliis, quæ à Patribus accepi. Distinxi etiam tres Corporis Christi statûs, & in Sacramento monui simul esse figuram, & veritatem; & vtrumque à Patribus dici. Postremò contra Lutherum intuli cum Caluino hanc Christi præsentiam cultu supremo latriæ venerandam, & contra Caluinum cum Luthero hanc prẹsentiam ex Christi verbis esse manifestam; ex vtriusque defectu, vtriusque damnationem.

Repetitio secunda.

II. In secundâ parte de Sacrificii naturâ disputaui; sine Sacrificio Religionem in vniuersum non posse consistere, Christianam autem in specie, sine verâ atque vnicâ Christi Carnis & Sanguinis immolatione, quæ cæterorum omnium est finis, eadémque Eucharistica, propitiatoria, simúlque ad gloriam Dei salutémque nostram efficacissima. Hic est enim Sanguis qui pro multis effundetur, vel vt habent Græca; qui pro multis effunditur, ἐγχυμόμενον hoc est; in dies sempérque libatur. Quod authoritatibus sepsi Patrum atque Scripturæ. Explicui quoque

quâ ratione immolaretur, & in conse-cratione quâ sic constituitur, vt nullam possit exercere vitam, & in consumptione, quâ verissimè desinit apud nos. Conclusi quantum id Sacrificium esset, quámque honorificum Deo atque vtile nobis, quantíque amoris argumentum. Neque esse mirum vos non tantùm in Fide claudicare, sed etiam multò magis in charitate, qui Christum primam charitatis originem ignorantes, eum indignissimis modis habeatis. Hæc, inquam, sunt, quæ hâc postremâ Controuersiâ tecum inter priuatos parietes diu multúmque disserui.

III. Vnum igitur incumbebat ad extremum disputanti mihi, vt te scilicet ad eam Fidem, quam hactenus exhibui, protinus amplectendam grauissimis ego verbis cohortarer: sed quoniam id bono tuo, gaudio meo præuenisti; *vota mea Domino reddam & ei sacrificabo hostiam laudis.* Vnde enim possem ego grates rependere tam benefico Patri, nisi ex illo quod ipse mutuum dedit, & quid dico mutuum? cuius etiam dominium in seruum inutilem ex toto transtulit, sic, vt cùm Dominus meus in cælo sit, & vbique: tamen in Sacramento non *Peroratio.*

tantùm non Dominus mei, ſed ne ſui quidem ſit, ſeruus ſeruorum, expenſus & ſuperimpenſus mihi. Ergo cum Prophetâ rurſus inquiram, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*, hoc eſt quæ bis dedit, ſemel in Cruce, & iterum in hac menſâ? Vnde (inquit) ſatisfaciam? Deinde reſpondet ſibi ipſe non aliunde quàm ex hoc ipſo quod dedit. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Do-Domini inuocabo.* Ipſe ſibi erit gratia pro gratiâ, & mihi finis vnius Euchariſtiæ, gradus erit futuræ. Hæc tu (vir optime) tecum ipſe meditare, & in hanc gratiarum actionem identidem erumpe, quia vincula tua dirupit. Enitere quoque vt & aliorum ſenſum vel adaperiat in lege ſuâ, vel ſi Sanguinem Chriſti non audiant, multò melius clamantem quàm Abel, denique confundat. Vale & viue memor noſtri.

Chryſoſtomus
Homil. 51. in Math.

Tangamus etiam nos fimbriam veſtimenti, imò etiam totum. Ipſum enim, ſi volumus, non veſtis ſolùm, ſed corpus etiam propoſitum eſt. Credite igitur omnes nunc etiam illam

Cænam celebrari in quâ Christus recumbebat.... Qui enim maius, id est animam suam pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere Corpus? Audiamus igitur tam Sacerdotes quàm alii, quàm magna & admirabilia nobis concessa sunt. Audiamus ergo & perhorrescamus. Carnes suas nobis proposuit, seipsum immolatum tradidit. Quæ igitur venia, cùm tali pabulo nutriti peccamus, cùm Agnum comedentes lupi fiamus.

DISPVTATIO SEXTA.

De Libertate contra nouum Philosophum.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sit definitio Libertatis.

Libertas multis modis sumitur. I. LIBERTAS definitur vniuersè quidem, etsi non vniuocè *facultas seipsum agendi*, quæ tantò absolutior esse censetur, quantò ab omni necessitatis vinculo est solutior. Quo fit, vt tot esse videantur in facultate discrimina libertatis, quot ex opposito sunt in actione vincula facultatis. Itur enim pedetentim, ac per quosdam veluti gradûs naturæ primùm viuentis, deinde vegetantis, tum sentientis, demùm intelligentis: descenditur à simplice nutu seu nisu ad sponta-

neum

neum ex ſeſe motum, ab hoc ad appetitum ab appetitu peruenitur, tandem ad ipſum gremium pleniſſimæ libertatis, poſitum in eligendi reciprocâ poteſtate. Sic aqua, ſic agi terra liberè dicitur, dum ſeſe hæc motibus librat, illa curſibus liberat in centrum: ſic etiam planta, ſic & anima, dum liberè hæc currit, illa creſcit. Liberum enim hoc latè ſenſu dicitur, quicquid libet, vel licet. Eſt enim ſic immune; quòd ſi immune, & liberum.

II. Verùm ne nimis liberè de libero, ea nobis vna libertatis ratio diffinitióque probanda eſt, *quæ ſui potens, ex ſeſe, vel* (vt loquitur Origenes) *à ſe habet, quicquid habet.* Sic enim animus & vim excludit & naturam, Deo proximus, qui eſt à ſe, vnde & imago Dei; vnde & primus in vitam meriti fons & caput, dum eligit quod diligit, nulli ſeruiens, ne ſibi quidem; cuius impetum aut pondus tum ſuſpendere, tum impendere pro arbitratu poteſt, poſitus in æquilibrio ſui. *Cardinem voluntatis* appellat Auguſtinus, *libripendem emancipati à Deo boni poteſtatem* Tertullianus; *frænum & habenas ſpirituales* Cyrillus, *Dominium ſui*, ſiue vt Græci, αὐτεξούσιον Baſilius. Hoc igitur

Vera definitio.

eſt homo voluntate, quod naturâ Deus; hoc virtute, quod ille fœlicitate. Virtus enim ſicut & vitium neque natura eſt, neque naturæ. Acquiritur, non infunditur. Denique nemo naſcitur bonus, nemo malus: ſed fit, fit autem electione, non neceſſitate, connitendo ad meliora. Hæc cæli ſcala, hæc Euangelij ſchola. Sic Eccleſia docet, ſic & docetur. *Qui potuit* (inquit) *tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.*

Sententia aduerſarii. III. Tu verò longè aliter diſterminas atque definis. Arbitrij enim ſolâ radice cõtentus, libertatem ſic vndique truncas vt denique obtrunces; imò hominem truncum facis, cui non plus indifferentiæ relinquis, quàm materiæ primæ. Sinum enim neſcio quem aperis voluntatis, inanem, inertem, inaratum, boni ſecundum ſe malíque ex æquo feracem. Cæterùm ſemper impeditum, quò minùs alterum ex his duobus vtero ferat. Nam aut fœtu gratiæ prægnans eſt, vti digeris, aut concupiſcentiæ; ſi primum, neceſſe eſt, vt connixa, cælo pariat quod cæleſti voluptate concepit; ſi ſecundum, habet in ſinu ſementem Diaboli, parturire niſi peccatum non poteſt. Itaque

necessarium est vtrumque & vtrinque, ex statu gratiæ vel concupiscentiæ. Quamquàm enim sinus ille voluntatis, in quo tota est, vt credis, arbitrij sita libertas, vtriusque, boni scilicet & mali, secundum se sit capax, quia voluntas secundùm se spectata, virginis est adinstar innuptæ, nondum sub jugo: Nihilominus, cùm aliunde mancipata sit, alterutríque semper addicta (nunquam enim est sine amore) hinc velis nolis, in neruo positam esse fateare necesse est.

IV. Hæc est illa noua, nupérque cusa secta, cuius (vt mea quidem fert opinio) caput es & cauda, si tamen in tali causâ caput est & cauda, cui caudex tantùm relinquitur & truncus libertatis, aut vt veriùs ex Tridentino dicam, *titulus solus.* Nam eò recidit hæc hæresis tua, quò Lutherana, imò cardo totius est causæ, vt iste scribit ad Erasmum, Denique *documentum artis tuæ dum ostendis*, (verba sunt Africani) *ipse te fingis.* Hoc enim posito erroris tui fundamento, doces Christum *non minùs esse mali capacem, quám vnumquemque nostrum: Æquè beatos posse peccare atque damnatos.* Adhæc, præcepta repræsentas vt impossibilia,

Inconuenientia.

l. in Hermogenem.

mores vt fata, dicta tua vt Patrum effata, cùm aliena sint non tantùm à vero, sed etiam à Fide, vt mox intelliges ex argumentis quibus hanc ego pestem, te, si possibile est, saluo funditus euertam: non enim te, sed hæresim tuam odi, neque persequor errantem, sed errorem. Ita sum amantissimus tui, quia mei: es enim frater, os meum, & caro mea. Et tu quidem irasceris medico, ego morbo, quem in vrbe iam gliscentem, vnde potissimùm petam, rerum multitudine dicendarum inops, hæreo animi pendens. Accedit quòd ipse spiritus vester ab auitâ Fide degener, hoc nouo fermento sic intumescere solet, vt elatæ frontis immani supercilio cuncta despiciat. Nam si bullas obtendero, rides & appellas *terriculamenta puerorum*; si authoritate Veterum pugno, omnes præter Augustinum in errorem abreptos esse cum Caluino doces; si decreta Concilii, verbo eludis, sensúque tuo diuiso membra diuidis à capite, capútque à membris. Si Caluini concordiam objicio, gratularis hanc tibi, docésque hæreticum catholicè sentire, Catholicum hæreticè. Denique vna tibi libertas est ad tui sensus libidinem

In cursu Philosophico.

omnia trahere, & id credere tantùm, quod placuit arbitro Fidei ſpiritui tuo.

III. Atque vtinam crederes ſolus, nec publicè doceres, habens cathedram inter nos, inter hoſtes caput, eò periculoſiore ſcandalo, quò minùs ab *ouinâ* pelle quâ tegeris, vniuerſi ſibi metuendum putant, præſertim cùm hanc Philoſophiam tuam inſcripſeris Auguſtini Diuíque Thomæ doctrinam, antiquo ac ſolenni more innouantium, qui (vt egregiè notat Vincentius Lerinenſis) *mala pocula & noxios ſuccos medicaminum titulis præcolorant, vt nemo ferè vbi ſupraſcriptum legerit remedium, non ſuſpicetur venenum*, tantò lęthalius, *quantò nihil* (vt monet Ambroſius) *magis cogit ad mortem, quàm quod ſub obtentu Fidei violat Fidem. Vt enim gypſum aquâ permixtum lac colore mentitur, ita hîc per veriſimilem confeſſionem traditio inimica ſuggeritur.* Quòd ſi contra *publicum hoſtem omnis homo miles eſt*, qualis ego (putas) occurram tibi in hoc tuo Fidem interturbante curſu? Certè intelliges ex hæreſi cæsâ Cæſarem, ex libertate hominum vindicatâ Alexandrum, ex tui ciuiúmque charitate Chriſtianum. Itaque duo conficiam; primum erit vt te

Graue periculum inde exortum.

L. aduer. ſ. hæreſ.

L. de Fide contr. Arian. c. 1

omnibus orthodoxorum aggrediar te-lis; secundum vt argumentis hæretico-rum respondeam, hoc est tuis, parcens interim nomini tuo.

PARS PRIMA.

Stabilitur humana libertas acerrimis orthodoxorum argumentis.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd indifferentiâ proximâ sublatâ tollatur omnis libertas; & de libertate radicali.

Proponitur quæstio.

I. ERgo vt à sinu seu capacitate tuâ, quæ nulla est, initium ducam, quæro vtrum putes hanc ab hæreticis esse vel negatam, vel dissimulatam? Admisere certè omnes, & admissâ nihilominus exulauere. Quid enim refert si cum tali potentiâ sim ego omni ex parte ad opus impotens atque imparatus? Ecce positus inter ignea furentis inimici tela iamiam vrendus opem imploro. Quid faciam? quò curram? quò non curram

miſer? Quid conſilii das? conuertar ad preces? deeſt gratia. Aggrediar ſine gratiâ? fateris impoſſibilitatem. Concluſus ergo vtrimque, impos mentis meæ, expers opis alienæ quò euadam? vbi libertas? vbi potentia, ſi eſt vndique impotentia? deſperandum igitur eſt, aut ſi reſtat aliquid ſpei, effer vnde? *de areâ vel de torculari?* 4. Reg. 6.

Poſſum (inquis) in ſenſu diuiſo. O te ridiculum! quid eſt hoc in ſenſu diuiſo? mulier in ſenſu diuiſo nuptiarum poteſt alteri nubere, nunquid & poteſt nupta? tu in ſenſu diuiſo erroris Catholicus eſſes, ſi benè crederes, nunquid in ſenſu compoſito propterea non es hæreticus?

De hoc ſtatu quæritur, in quo miſeri verſamur, an componi poſſit aliqua cum eo libertas, hoc eſt an cum hoc ſtatu ſit agendi parata in vtrumque facultas? Quod tu negas contra Patres, contra Concilia, & contra conſilia omnia. Quid enim conſilij ſupereſt, ſi conſulendum ſuprà nihil eſt, niſi quâ tu ſummâ ſapientiâ præditus es, conſuli de impoſſibili iubes. *Atqui nulla eſt nobis ratio petendi, ſi ſpes tollitur impetrandi.* Saluianus l. 1. de prouid.

Effugium. II. Hîc tu ſcitè, vt es gnauus ac ſolers, de impoſſibili diſtinguis per naturam, déque impoſſibili per gratiam. Confiteris enim de eo conſilium nullum eſſe, cui natura ſit impar: at negas ſi defectu gratiæ mendoſa ſit atque mendica. Alis ergo ſi caream corporis, corpori volatum conſuli non poſſe concedis, multo minùs præcipi: contendis tamen hunc ipſum volatum animo poſſe & conſuli & præcipi etiam ſine gratiâ implumi. O ſubtilitatem! Hîc hîc certè *cælum ipſum petimus ſtultitiâ.* Nam quæ maior eſſe poſſit, quàm in eo laborare, quod & ſupra vires ſit, & eſſe iudices, vndecunque tandem id ineluctabile eſſe contingat? Da gloriam Deo. In cauſâ tuæ ſalutis nudus à gratiâ potes aliquid necne? reſponde. Si dicis, poſſum; Pelagianus es: ſi fateris te nihil poſſe, & conſulis tamen, ſtultiſſimus es; vtroque modo (da veniam arguenti) ſtupidiſſimus, qui deliberas extra gratiã. Nam quid intereſt, vnde hæc impoſſibilitas orta ſit, ſi eſt omni ex parte inſuperabilis mihi, hoc loco, hoc tempore, hoc rerum ſtatu. Ergo hoc loco, hoc tempore, hoc rerum ſtatu non eſt deliberandi locus, licèt aliò fortaſſe poſſit eſſe.

Horatius.

Audi Clementem: *Hoc ſi teneatur, conuulſa ſunt omnia: fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora: ſed & iudices ſæculi fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos, qui malè agunt: non enim in ſuâ poteſtate habuerunt, vt non peccarent. Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas ſtatuunt. Miſeri erunt & hi, qui ſeruant cum labore iuſtitiam: beati verò illi qui in delicijs poſiti, cum luxuriâ & ſcelere viuentes, tyrannidem obtinent.* Vides libertatem hac ſentiendi ratione funditus interire, & leges, & iura. L. 3. Recognitionum.

III. Imaginarium ſuper hoc, aëriam & fumo plenam indifferentiam affers mihi, quam appellas liberi radicem arbitrij. Luculentum ſanè prædium atque opiparum, ſed tale, vt nulli ſit vſui. Quò enim hæc arbitraria radix, ſi vincta eſt vndique voluntas? Egóne in mediis vinculis liber? habeo pedes. Quid tum? ſi in compedibus, ſi moueri non poſſum? neruum agnoſcis, ſeruitutem profiteris nobilem, ignobilem, gratiæ, concupiſcentiæ, Dei, dæmonis, ſtellæ vel materiæ, vndecunque, cuiuſcũque; nihil ad rem, ſi ſit illa, cui me illigas, neceſſitas maior, abſoluta, præpes, anterior & euentu & causâ, & tanta demùm, quæ omnem meam pro- *Radix inutilis.*

uidentiam anteuertat. Hoc enim ſemel conſtituto, permittenda nauis eſt arbitrio procellæ atque ventorum. Vnum hoc, vnum erit totius vitæ lemma. FATA OBSTANT. DIIS ALITER VISVM. Ita fur, ita ſacrilegus, & homicida, & adulter, & adultera reſpondebunt. Defuit gratia, & cum gratiâ poſſibilitas. Nemo, inquam, nemo non accuſabit Deum, vt crimen excuſet. At non aufero radicem (inquis) arbitrij, eſto. Quid deinde? quid ad rem? ſi fructum, ſi ſuccum, ſi ramum aufers, & remum quo nauigem?

Vrgetur. IV. Planè diceres eodem modo ſtultum eſſe ſapientem, eo quòd habeat radicem ſapientiæ, nimirum intellectum veri ſecundum ſe falsíque capacem, quamquam aliunde per accidens & ex ſtatu impeditum. Statueres ſimiliter pueros ante rationis vſum eſſe liberos atque prudentes ob eundem radicalem ſinum. Denique diſtingue quantum voles, dic proximè, dic remotè, dic in ſenſu diuiſo, dic in compoſito, dic ſecundum ſe, dic per accidẽs, dic ex hypotheſi, dic abſolutè; in sũmâ omnibus numeris ſubductis, liber es aut ſeruus; nam alterutrum eſſe te neceſſe eſt, cùm inter hæc duo medium

ſit nihil. Vter es igitur? Pronuntia liberè de libero. Si ſeruum dicis, inſcribamus ergo librum tuum, vt Lutherus ſuum, non de libero, ſed de ſeruo arbitrio. Si liberum vocas ob radicem voluntatis, aſcribamus & puero & amenti ſapientiam ob radicem bonæ mentis. Dicamus inter coniuges adulterium nullum eſſe, quia licèt in ſenſu cōpoſito, per accidens atque ex hypotheſi ſint ligati, tamen in ſenſu diuiſo, ſecundum ſe atque abſolutè ſunt ſoluti. Statuamus damnatū ex radice beatitudinis, ſeu capacitate non eſſe miſerum, quia licèt in ſenſu compoſito ſit ſummè miſer, tamen in ſenſu à miſeriâ diuiſo nullo modo eſt miſer, cùm in illo etiam ſtatu totam habeat beatitudinis capacitatem atque radicem. Denique confundamus omnia: pauperem non pauperem, iuſtum non iuſtum, hæreticum non hæreticum, imò ens non ens fateamur, quia ſecundum ſe nihil eſt in ſenſu diuiſo tale, quale eſt ſecundum accidens & in ſenſu compoſito. Vide quò te tuæ præcipitem agant argutiæ.

CAPVT TERTIVM.

Quòd illa radix indifferentiæ nihil conferat ad libertatem.

Indifferentia in sensu diuiso reperitur in brutis.

I. NOndum est finis tamen. Alio te nunc ex capite peto. Ex quo tandem? Ex tuo; bono an malo, tu videris, certè ad hanc Philosphiam minimè malo, vt hactenus vidimus. Attende ergo quid nunc ostendam & contende ne te contundam, ac denique confundam.

Naturale libero contrarium esse tute censes, nec insulsè omnino. Quod enim à naturâ insitum est, sub imperium voluntatis non cadit, cùm sit in nobis sine nobis, *hæreditarium* (vt loquitur Irenæus) *bonum, sorte acceptum, non studio quæsitum.* Quo ex D. Thomæ certissimo principio concludis vltimi finis appetitum propriè non esse liberum, vtpote naturalem. Quæro igitur cùm arbitraria tua radix dos prima sit intelligentis naturæ: quâ ratione possit constituere libertatem animi, quæ naturam constituit animalis? Nullum est enim animal, quod in sensu diuiso non sit æquè capax oppositorum, etiam equus, etiam mulus, quibus non est intellectus. Nam etsi nunc ad hanc viam

capessendam determinetur agentis impulsu,tamen in sensu diuiso à tali impulsione posset non determinari. Ista igitur quam vsque adeo iactas, arbitrii capacitas,potentia quędam est (vt acutè Lutherus, & ad errorem suum consentaneè dixit) passiua potiùs quàm actiua, materię primę similis, cui nos tam sępè comparas, non tam ad agendum, quàm ad recipiendum idonea. Agrum, inquam, refers lolii triticíque secundùm se feracem, truncum ad omnes, vt tu, figuras indifferentem, trochum in omnes vndique partes, non simul illum quidem, sed vicissim alternísque flagellantis impulsionibus subinde versatilem: an liberum propterea? Atqui libertas neque truncus est, neque trochus; sed animus virtutis vitiíque per se simul ac proximè potens. Nam si ad actum huiusmodi potentia reduci nunquam potest, inanis est ac superuacanea prorsus. Quò enim actus primus, si non est secundus? Quid dicam, quòd hęc indifferentia non sit in Deo ad producendum Verbum aut Spiritum Sanctum, cùm tamen vtraque productio per te sit libera? Quid quòd hęc ad peccandum in Christo sit vt tu vis,

cùm tamen peccator vt nos, ſeu peccato obnoxius abſolutè dici non poſſit ſine blaſphemiâ?

Damnata à Concilio Trident.

II. Itaque neque eſt in potentiâ tuâ remotâ, quia naturalis; neque in proximâ, quia ligata & ſeruilis; neque in vtrâque, quia neutra noſtræ poteſtatis. Vbi igitur illa tandem? vbi cum libertate gratia quę abjici, cui reſiſti, cui diſſentiri poteſt ex Concilio? Rides hæc obiicientem qui cum Caluino non plus reuereare Tridentum quàm Neptunium è fabulâ Tridentem? Pudor enim aut timor eius ſi quis eſſet, doceres quicquid ex motiuo charitatis actu non refertur in Deum, eſſe peccatum? Vnde ſequitur metum gehennæ eſſe vitioſum contra Canonem 8. ſeſſionis 6. peccare hominem dum intuitu mercedis æternæ bene operatur contra Canonem 3. eiuſdem ſeſſ. attritionem & dolorem de peccatis ob fœditatem, &c. eſſe damnandum contra Canonem 5. ſeſſ. 14. contenderes præcepta Dei ad obſeruandum eſſe impoſſibilia defectu gratię cõtra Canonem 18. ſeſſ. 6.? de ſolo titulo liberi arbitrii diſputares contra Canonem 5. eiuſdem ſeſſ.? Negares Deo excitanti atque vocanti poſſe ho-

Caluinus vocat Neptunios Patres.

minem diſſentire ſi velit contra Canonem 4. ſeſſ. 6.? aut in poteſtate hominis eſſe vias ſuas malas facere, contra Canonem 6. eiuſdem ſeſſionis? Concluderes (quo id autem modo, dicam paulò poſt) mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, contra Canonem eundem? En quot tuo capite capita, quótque Canones Canonicus infringis? Sed ea nimirum eſt tibi mens egregiè Catholica, quâ Synodo non plus authoritatis putes eſſe tribuendum quàm Scholaſticis. Perge porrò. Quid ad Bullam Pontificis? & hanc rides vt laruam (ſic enim appellas) puerilem, totámque quanta quanta eſt, repudias. Quid ad Patres? & hos præter Auguſtinum omnes aberraſſe contendis. Itáne? Synodus, Pontifices, omnes Patres? Equidem audaciam tuam non miror in animo, vt auguror, planè hæretico; ſed patientiam erga te noſtram in loco tam Catholicè Catholico? Fero tamen adhuc, & grauiora nunc premo, ſi quid in Eccleſiâ grauius eſſe poteſt œcumenicâ Patrum vel Apoſtolicâ Pontificum voce.

CAPVT QVARTVM.

Quòd Deus hâc sentiendi ratione sit author peccati.

I. PAulus à Deo negat iudicari posse mundum, si infert iram; quia si est causa peccati, nulla est culpa peccantis. Hîc argutè, vt soles, distinguis disputásque de peccati materiali atque formali. Vnde putas confici Deum non esse mali causam nisi materialiter & per accidens, vt loquuntur scholæ. Verùm in hoc argumento quanta sit ingenii tui non dicam crassities, vt tu de nobis, ne par pari referam, sed saltem incogitantia, facilè intelliges, si mecum antè statueris id esse verè *propriéque causam, ex cuius actionis vi necessariò ac determinatè effectus obueniat, qui ab agente per se primariò intenditur.*

Effugium.

Definitio causæ.

Equidem fateor imputari Deo non posse peccatum, si præter spem intentionémque subrepat in opus. At id sibi si proponat vt finem, si ad id mentem impellat, vti doces, si prædeterminatrice manu rem ipse conficiat; manifestum est alienum ab eius voluntate non esse, quod neque ab intentione separari potest,

teſt, neque ab actione. Vrget miſerum, prædeterminat, (inquis) inducit in fraudem, ſic deſerit, ſic deſtituit, vt abſtinere ab opere non poſſit, & deinde vis credi non eſſe operis cauſam, cuius eſt ipſe actor & author? Crede mihi, redit in fontem quaſi per cānam, vt loquitur Auguſtinus, & hoc eſt quod Apoſtolus docet non eſſe iudicium, ſi inferat iram. Alioqui Deum habebimus pugnantem in ſe ipſum, dum procurat quod prohibet, prohibétque quod procurat, hoc eſt pro Deo chimæram.

II. Innocentem vis ſine culpâ deſeri, inde in peccatum neceſſariò labi, tum plecti, tum puniri; quam enimuero culpam habet in crimine, qui nullam habet cauſam in actione? Aut vnde immerentem arguas ſic deſertum, quem ineluctabilis arctáque neceſſitas vt turbinem rapit? Hæc ſi docentur, quis non videt deſperatiſſimam eſſe hominum vitam, fatóque cuncta committi? *Execramur* (inquit Auguſtinus) *etiam blaſphemiam eorum qui dicunt impoſſibile aliquid à Deo præceptum eſſe, & præcepta Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſeruari.* Nam vt ait l. de duabus animabus

Innocentem non poſſe deſeri.

Serm. 164. de tempor.

c. 12. *Dicere reum quempiam teneri, quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis est & insania.*

Euasio. Fortasse dices à primi parentis errore primam emanasse mali labem; inde fieri vt quoniã nemo sit innoxius, omnes à Deo iure possint deseri. quid? Etiámne post baptismum? In quo *similia sunt peccata nostra* (vt ait Aug.) *Ægyptiis persequentibus vsque ad fontem Christi sanguine consecratum.* Nam sicut ibi ne vnus quidem remansit, ita *Nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, nouum qui secundum Deum est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt.* Ita Synodus. Denique Paulus ait. *Et hæc fuistis aliquando, sed abluti estis.* Et Christus in Actis. *Quod Deus purificauit, tu ne immundum dixeris.* Sunt itaque post baptismum reconciliati Deo, sunt abluti, sunt innoxij, sunt mundi. Vnde ergo deseruntur? Quámue ob culpam? ob originalem? at dudum remissa est, vt audimus. Ob actualem? at nondum commissa est, vt supponimus. Quid tu ad hæc? Nocentem an inno-

Verba Concilij.

1. Cor. 6.

Act. 10.

tem vis deſeri. Vtrum? ſi nocentem dicis, vnde? quo crimine? ſuo an alieno? non ſuo, quia nihil mali egit. Non alieno, *quia tollitur per baptiſma totum id quod veram & propriam rationem habet peccati:* (ſunt hæc verba Synodi.) Si innocentem pronuntias, quare deſeritur, quare damnatur, *cùm ſummæ ſit iniquitatis & inſaniæ dicere reum teneri quempiam quia non fecit, quod facere non potuit?* Trident.

CAPVT QVINTVM.

Quòd eâdem ſentiendi ratione nullum ſit iudicium Dei.

I. ATque vt id manifeſtius euadat, ſtatuamus ante oculos ſedem in cœlo poſitam, qualem Ioannes vidit, & in eâ hominem Deum, & ſub eâ hominem reum, alterum accuſantem, alterum excuſantem: Dicet Deus. *Quid eſt quòd dilectus fecit in domo meâ ſcelera multa*? Reſpondebit reus. Quia iuſſiſti, quod facere non potui. Arguet Deus. Ego naturam in te condidi intellectu rationéque præditam. Reſpondebit reus. Condidiſti naturam, ſed imparatam, impotentémque ad bonum. Obiiciet Deus.

Paradigma. Ierem. 11.

Ego legem dedi , quam obseruares. Occurret reus Legem dedisti quam obseruarem , sed gratiam negasti quâ legem obseruarem. Instabit Deus. Ego Filium meum in terras redemptorem misi. Subiiciet reus. Misisti filium aliis, non mihi. Ego vnus desertus sum , oppressus , venundatus sub peccato. Vrgebit Deus. Desertus es, sed merito tuo. Inclamabit reus. Quo merito meo? qui antequam desererer , non peccaui, nec nisi desertus, peccare potui? Porrò nemo est tuorum qui non eadem peccaret quę ego, si destitueretur vt ego; & nihil est quod illi fecerint quin facerem & ego, si, vt illi, fulcirer & ego. Quid est ergo mali quod in me misero reprehendis, si necessitate compulsus admisi, & quid est boni quod in illis laudas, si ad id pari necessitate constricti sunt? Cõmemorabit Deus Adæ peccatum. Commonefaciet reus Christi lauacrum, in quo peccatum Adæ fuit ablatum. Si ablatum, quomodo iterum punitum? Aut si iterum punitum, quomodo ablatum? quomodo ablutum?

Concupiscentia non est peccatum.

II. Restat (inquis) ex illo concupiscentia mala tanquam ouum ex aspide, qui erumpit in regulum. Sed contra est.

Nam illa concupiscentia non est peccatum, aut si peccatum est, totum Adæ peccatum per baptismum non est ablatum, vt Paulus, ut Synodus, vt statuit Christus. Denique vel innocens à baptismo relinquitur, vel nocens; si innocens, quare deseritur? si nocens, quomodo abluitur? Insto. Eadem illa concupiscentia fuit in Adamo ante peccatum, quam gratia regebat, lex dirigebat, mortísque formido corrigebat. Erat enim corpus Adami non alterius à nostro naturæ: Idem in illo temperamentum, idem calor & sanguis; vis eadem libidinis, sed tali ac tantâ gratiâ frænata, vt ne sentiretur quidem. Hanc (inquis) gratiam innocentiæ status exigebat. Bene habet. Non potuit, vt vis, non debuit innocens illa natura tum in Adamo deseri, cur ergo nunc in Adami filio deseritur? Si tunc gratia cohibuit etiam libidinis sensum, quare non modò saltem eiusdem libidinis consensum? Ecce vtrumque negas, vtrumque fateris. Negas innocentē posse deseri, & affers Adamum, fateris etiam innocentē posse deseri, & nominas Adami filiū. Ego verò discriminis causam iamdudum postulo. Quare hunc? quare non illum? Ex

concupiſcentiâ (inquis) ſed erat ibi concupiſcentia, & frænabatur ob innocentiam, vt vis. Innocentiam hîc inuenio, non inuenio frænum.

Concluditur tolli iudicium.

III. Redeamus ergo nunc tandem ad Dei tribunal, ad quod antè ſteteramus, & cauſam quam cæpimus ſemel, ad extremum peroremus. Tonet Deus, & graui illâ inſectatione quæ eſt apud Matrem noſtram, improperet dicens, *Populi meus quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te? reſponde mihi.* Ad hanc querelam iiſdem penè verbis occurret reus, & dicet: Domine Deus, imò ego quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te? reſponde mihi. Tu legem, tu præcepta ad obſeruandum impoſſibilia præſcribis, & quia non feci quod nullâ poteſtate facere potui, tu me in ignem mittis æternum. Quæ culpa, quod crimen meum huic tantæ par pœnæ? Culpam auitam commemoras, quam condonaſti: purgatus ſum, ablutus ſum, tecum in gratiam redii. Quare ergo deſeris? quare deſertum, impotentem immerentémque punis bis in idipſum? & tali, tantâque pœnâ, immensâ ſimul & æternâ, à quâ ego non ad Cæſarem, vt Paulus, appello, ſed ad te Deum

meum; quia ſi talis eſſes qualem te dicunt, non eſſes Deus meus, ſed alius quidam Deus, quem ego non noui. Deus enim meus Deus eſt, apud quem non eſt iniquitas, multò minùs inſania; cùm *ſumma ſit tamen iniquitatis & inſaniæ dicere reum teneri quempiam, quia non fecit quod facere non potuit. Secundùm hæc ergo* (inquit Clemens) *nec iuſtitia erit, nec bonitas, nec ulla virtus, & vt vis, nec Deus.* 3. Recognit.

CAPVT SEXTVM.

Quòd ex hac hæreſi infinita ſequuntur abſurda.

I. Vides itaque mundum iudicari non poſſe, ſi hæc ita ſe habeant. *Inconuenientia.* Quòd ſi iudicium non eſt, neque erit gehenna, neque corona, *vbi enim neceſſitas, ibi nec corona* (inquit Hieronymus.) Prouidentia quoque nulla futura eſt, arbitra nulla meritorum; ſiquidem merita non erunt, & de fideli dici poterit, quod de infideli: *Iam iudicatus eſt.* Exinde nec incarnationi locus, cui præcipuus inſtituendæ hominum vitæ finis modúſque præripitur, imò & meritum Chriſto, qui fato ac neceſſitate cuncta peregerit. Vt

iam non mirer eos, qui consubstantialitatem in Nicæno pernegarunt, impensè laudari à vobis, doctissimósque Præsules appellari. Neque quòd Sacramentis tam veteris quàm nouæ Legis non plus tribuatur à vobis gratiæ atque virtutis, quàm signis & imaginibus, quæ *totam vim suam exerant in significando*, vt loquimini. Vnde sequitur, quia Christi Corpus eo statu, quo esse dicimus in Sacramento, huic exerendæ significationi sit inidoneum, Eucharistiæ præsens esse non posse. Neque item quòd primos concupiscentiæ motus æquè damnetis atque postremos; nam cùm omnia mala pendeant (vt vultis) ab Adami peccato, manifestum est non plus in adulterio peccare adultum, qui necessitate peccat, quàm infantem qui impatientiâ, aut virginem, cui inter somnia caro in libidinem erumpat etiam inuitæ ac nescienti. Neque item quòd alium reprobis negetis paratum esse ignem in inferno quàm *abruptam* (vt loquitur vester Antesignanus) *atque absonam à Deo voluntatem*, ne si verus sit ignis in gehennâ, non immitis solùm Deus erga miseros, sed etiam ferus atque immanis exhibeatur, ac prop-

Iansen.

terea nullus, vt rectè concludit Clemens. Neque quòd infantibus sine baptismo mortuis eadem pœna destinetur, quippe eodem quo cæteri, peccato damnatis. Neque quòd beatis alia non sit in cælo fœlicitas, quàm illiusmet amoris, quo hîc in viâ flagrant. Nam cùm eorum nullum sit meritum, vt docetis, mercedem quoque nullam esse oportet, imò neque laudem. Neque quòd inuocationem Sanctorum ferre nequeatis, cùm enim omnia fato ac necessitudine fiant in cælo, vt vultis, nec precibus nostris contra tale fatum moueri possunt, nec suis Deum in contrarium mouere: vtcunque tandem, fiet quod adamantinâ lege sancitum est. Neque quòd apud vos indulgentiæ proscriptæ sint tam pro viuis quàm pro defunctis, cùm eæ nitantur thesauro meritorum seu satisfactionum quem excluditis. Neque ex consequenti quòd purgatorius non sit ignis, cùm purgandum nihil sit post hanc vitam, imò nihil immutandum vt putatis, gratiâ in beatis, concupiscentiâ in damnatis perseuerante eâdem, quarum altera in alteris sit tota beatitudo, altera in alteris sit tota pœna. Vnde absolutè ne-

gat Iansenius dari medium inter vtrasque metas locum. Neque quòd omnia virtutum officia cum charitate confundatis, omnia, si hæc absit, vt criminosa repræsentetis, quia cùm sine gratiâ secundum vos virtus nulla sit; aliunde nulla sit vt vultis, gratia sine charitate; imò ipsamet sit charitas: inde duo sequuntur ingentia contra sanam doctrinam inconuenientia. Primum est quòd gratia sanctificans seu habitualis aliud vobis nihil sit præter amorem actu seu proposito perseuerantem, vt probat Iansenius: secundum est quod in puerorum baptismo nihil interueniat veræ gratiæ præter exteram adoptionis notam, cùm ætas illa sit incapax amoris. Quid plura? Euerso totius Fidei vitæque fundamento, quod in agendi liberâ potestate situm est, simul omnia corruere quoque necesse est, vt passim disputant Patres.

Conclusio. II. Intelligísne tandem, quàm immensa seges errorum, ex hac fœcundâ radice succreuerit? nimirum à fructibus eius, vt monet Christus, & qualis sit, agnosci debet, & vbi fuerit agnita, reprobari. Atque vtinam hæc olim qualia quantáque sunt in mentem venissent ti-

bi; non dubito quin te à præcipitio vel ipsâ ſui deformitate reuocaſſent. Nam ſi de verbo otioſo reddenda tibi ratio eſt in die iudicii, qualem putas te redditurum de hoc peſtilentiſſimo, quem ſpargis, errore omnium malorum, vt vides, primâ certiſſimáque labe? Dic amabo te, ſi veneno publicos fontes, immani quodam furore per ſummum nefas infeciſſes, ſic vt exinde tuo ſcelere plurimorum mors eſſet in vrbe ſubſecuta; nonne te omnium nequiſſimum ac conſceleratiſſimum caput animo reputares? & tamen illa lues in corpora duntaxat effuſa ſæuiret, vbi nunc incendium ac peſtis in animos Chriſti ſanguine redemptos immedicabili vulnere furit! O ſi perpenderes! enimuerò non neſcis nugas ſæcularium à Bernardo dici ſacrilegia ſacerdotum; quòd ſi nugę tales ſunt, quantæ, proh Deum immortalem! nequitiæ quantíque flagitii damnum hoc futurum eſt? *ſed confidimus de te, dilectiſsime, meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur.* Heb. 6.

PARS SECVNDA.
Fit Argumentis aduersarij satis.

CAPVT SEPTIMVM.
Proponuntur Difficultates.

Quæst 6. de malo. ar. 1. I. NVnc argumentis occurrendum est, quæ te in hunc errorem impulere. Audio enim D. Thomam, qui posteaquam hanc hæresim totius reip. censuit esse pestem & consiliorum legúmque omnium certissimam postremámque cladem, animaduertit te tuíque similes in eam propterea delapsos esse, quòd difficultatibus pressi, quæ in contrarium opponuntur, earum nodos expedire non facilè possetis. Ea est enim insolescentis animi temeritas, vt vbi soluendo non est, malit insanire disputando, quàm ignorantiam confiteri suam. In Valentin. *Habent* (inquit Tertull.) *artificium quo prius persuadeant, quàm edoceant. Veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet. Si aliquid noui astruxerint, reuelatio-*

nem, præsumptionem appellant, & charisma, ingenium. Sunt enim (addit Ambrosius) *acuti ad superstitiosa, hebetes ad diuina, qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tanquam noctuæ veri luminis splendore turbantur.* Serm. 43.

Argumenta infidelium.

II. Ne nos igitur in eodem cardine causæ constituti videamur etiam ipsi succubuisse (quanquam id Christiano longè satius erat) argumenta quibus hæretici Catholicam hanc veritatem iam inde à primâ nascentis erroris origine oppugnauere, breuiter proponenda sunt, & ita proponenda tamen, vt nihil à nobis, si fieri potest, aut explicatione dissimuletur, aut silentio declinetur. Sic igitur arguunt. Vel gratiam determinat voluntas, vel gratia voluntatem; si primum dicimus, blasphemia est; quis enim ferat in negotio nostræ salutis, arbitrio primas esse delatas, gratiæ secundas? nam si voluntas gratiam admouet ad opus, si determinat, si cunctantem rapit, anteuolat illa, præcurrítque dux facinoris & author, Deo famulante ac quodam hominis, vt ita dicam, pedissequo. Si secundum amplectimur, habent totâ mente quod optant, nempe non ab ho-

mine Deum, sed hominem à Deo in bonum impelli.

Præterea vel quod in opere futurum est, Deus ante præuidit, vel id inscio ac non volenti clam obrepit. Hoc secundum dici nequit, alioqui cæcum exhibemus, nec præpotentem. A Stoicis, quos damnamus, ad Epicuræos, qui prouidentiam negant, multóque peiores sunt, hac sentiendi ratione transimus. Ergo primum statuendum est. Iam veró si quod in opere futurum est, multò antè præuidit, non alio certè modo futurum esse prȩuidit, quàm quo futurum esse decreuit, qnandoquidem voluntas Dei, *rerum* (vt ait Augustinus) *natura est & fatum*. Quòd si decreuit, aliud à decreto suo velle, aliud intendere non potest. Quo enim pacto duo inter se pugnantia simul idem eodémque momento velit? Ecce damnationem Iudȩ, antequam esset, ipse prȩuidit, & quia antequam esset, ita præuidit, eam ipse quoque decreuit. Si damnationem huius hominis ipse decreuit, quomodo salutem eiusdem hominis ipse procuret, quomodo intendat, quam posito decreto suo ac prȩscientiâ suâ impossibilem videt?

Prçterea si malum permittit, si quod impedire potest, non impedit, vult sine dubio malum illud, quod non impedit; qui enim *non vetat peccare, cùm possit, iubet.* Senec. Accedit quòd quemadmodum contra prçscientiam Dei nihil potest euenire; ita neque contra voluntatem. Stant enim immota cçli decreta, nec vllâ vi possunt aut potestate conuelli. Est autem fixum in cçlo quod facturus sum, est multò antè prçscitum: si fixum, si prçscitum, quid ego mortalis homo possum hiscere contrà? quid aduersùs omnipotentem ego moliri? cum tantâ necessitate rerum, vbi libertas? vbi aliud optandi possibilitas? succumbendum igitur est. *Ducunt enim volentem fata, nolentem trahunt.* Seneca. En totiùs infidelitatis argumentum.

III. Sed est aliud à Fide quod tale est. *Argumenta ducta à Fide.* *Non omniũ* (inquiũt) *est Fides.* Neque enim sicut natura, ita gratia est communis. Atqui sine fide impossibile est placere Deo, vt docet Apostolus. Sunt igitur quibus via Dei inuia est, id est impossibilis. Quid quòd damnati deseruntur? an propterea non peccant, quia deserti peccare non possunt? Præclarum sanè, si hoc est, insanæ libidinis compendium, atque op-

tandus ab extremâ malitiâ ſtatus, ſi cùm in profundum venerint, tum maximè peccando non peccent. Certè damnatos & peccare, & neceſſariò peccare nemo eſt qui neget, vniuerſis cùm ſint ipſi gratiæ præſidiis deſtituti. Nec verò infantibus ante baptiſmum, gratiæ ſtillam vllam aſpergimus, quamquam fateri cogimur damnari & ipſos vnius ob noxam; nam quæ tanta Religio eſt, vt non eadem ſit adultorum, quæ ſors eſt infantium.

IV. Quid Beatos dicam in amplexus ruere ſummæ veritatis neceſſariò ac liberè tamen? imò tantò liberius, quantò ardentius, cùm hic ardor ab ipſamet voluntate promanet, in ſuum ipſius amorem totis viribus totóque pectore incumbente? Poſtremò Chriſti libertatem agnoſcimus cum ſummâ boni neceſſitudine coniunctam, & ipſum ſcimus ad Crucis ſupplicia properantem ex præcepto Patris, cui non potuit non parere, cui paruit liberè tamen, & ingenti cum merito. Ergo ſtare poſſunt hęc duo in eodem etiam actu neceſſitas atq; libertas.

En veſtra tela, liquidè, vt vides, contortéque vibrata. Nihil tacui, nihil diſſimulaui. Hæc ſunt, inquam, quæ veteres

olim

olim hæretici, quæ recentes quoque ad nauſeam vſque obtrudunt, quorum argumentis tu miſer vſque vſque tumes & triumphas, ſed malo tuo, vt mox intelliges. Nihil enim ita perdit auarum quàm opes malæ, & ex malo contractæ. Hæreſis vt hydrops tumore perit ſuo, & vt tinea ſeſe ipſa conſumit.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd eadem in Adamo difficultas implicetur.

I. AC primùm quidem, ego te his ipſis, quibus me oppugnas, improuidum aggredior oppugnóque telis. Rogas vtra duarum determinet, gratiáne an voluntas? & negas hanc arbitrio determinationem ſine blaſphemiâ poſſe concedi. At tu qui hanc nobis dicam impingis, non vides eam in te poſſe retorqueri, etiam cum lucro. Nam quod in nobis damnas, in Adamo approbas. Quæro enim viciſſim à te, vtrum in Adamo gratiam voluntas eſſet determinatura, an gratia voluntatem? Reſponde. Si primum dicis, blaſphemia eſt. Quis enim ferat in illo innocentiæ ſtatu pri-

Primum argumentum.

mas arbitrio esse delatas, gratiæ secundas? Quid? Præuolauit igitur arbitrium gratiæ, præcucurrit auxilio Dei dux facinoris & author? Deo ipso famulante ac pedissequo voluntatis? En verba, en tela tua, quæ non sunt tela, sed araneorum telæ, vt senties. Insto tamen adhuc tuóque ipsius pondere incumbo tibi. Vel Adæ peccatum Deus anteuidit, vel obrepsit inscio ac non volenti. Si dicis hoc secundum, à Stoicis quos in oculis fers, ad Epicuræos transis quos damnas. Exprobrabo tibi, vt tu mihi, cæcitatem in vidente, imbecillitatem in omnipotente. Ergo primum statuendum est. At si prȩuidit, quare non impediuit? qui enim cùm potest, non vetat, iubet. Sic aiebas. Quid hoc monstri est? vetuit & iussit. Vetuit, quia legem Adamo ne fieret, sanxit: iussit, quia voluntatem Adami, cùm posset, non impediuit. Itaque vtrumque, si te audimus, vtroque modo procurauit vt fieret, & vt ne fieret. Procurauit ne fieret, dando legem; procurauit vt fieret, dando gratiam sufficientem, & vt doces, ad id duntaxat idoneam, vt peccetur. Propterea enim talem gratiam monstrum vocas. Vrgeo rursum te ex te. Si

peccatum Adæ præuidit, non aliter, vt censes, potuit præuidere, quàm quia decreuit.

II. Hoc est secundum argumentum tuum. Iam si decreuit, quomodo salutem eiusdem hominis intendit? Potuítne Deus simul pugnantia velle & salutem, & damnationem? Potuítne homo contra omnipotentis ire vel scientiam vel decretum, quod irrefixum atque immutabile semper fuit? Quid tu ad hæc? Sunt tela, sunt telæ tuæ, & dicam melius, sunt tædæ tuæ, quibus ardes in interitum tuum, & tuorum. *Væ* (inquit Ambros.) *væ qui Adam defendis, & Deo iniuriam facis.... Sicut non est iudicandus Adam pro Cain, sic nec Deo quod Adam peccauit imputemus.* Fortasse dices gratiam Adami, imò & Angeli non aliam esse à naturâ. Sed hoc si doces, incredibilia dicis, immania, atque à totius Ecclesiæ Fide quàm longissimè abhorrentia. Nam si omnium Angelorum salus, à solis naturæ viribus in cælo profecta est, erit illa portio Ciuitatis Dei quæ & multitudine, & dignitate longè præstantissima est, opus non gratiæ sed naturæ; & si ex operibus iustificati sunt, vt docetis, habent gloriam, sed

Secundum argumentum.

Enarrat. de arbore interdictâ.

non apud Denm. *Merces* enim illis, vt Apoſtolus probat, *non imputabitur ſecundum gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Denique poterunt ipſi gloriari, non vt Phariſæus olim, gratias ago tibi Deus, ſed vt Pelagius ſolebat, gratias ago tibi, ô mens mea, quòd non ſum ſicut cæteri. Non enim gloriam ac ſalutem ſuam debent Deo, vt docet Auguſtinus, ſed ſibi, vt contendis. En hæreſim, en Pelagianum illud portentum, à quo vis videri totis viribus abhorrere, cùm illud tamen à terris, imò ab inferis ad cælum vſque tranſcribas, verè *Cæleſtius*, & cùm ægrè feras in causâ ſalutis humanæ tantillùm arbitrio tribui à nobis, tu tamen in Angelis, quorum vix centeſima portio ſumus (vt habet Hilarius) vis eidem arbitrio ſic cuncta concedi, nihil vt auxilio gratiæ debeatur. *Non gratiâ* (inquit Ianſenius) *ſed viribus proprii arbitrii ſe diſcreuerunt.* Ecce gratiam penitus excludit. Et rurſus, *Vita æterna non eſt gratia ſpecialis, ſed merces meriti.*

Cæleſtius author hæreſis Pelagianæ ſimul cum Pelagio.

Sententia Patrum.

III. Itáne? at quis præter te alius hoc docet? an Auguſtinus, quem totum tuum eſſe gloriaris? atqui contrarium paſſim vbique docet. Nam Homil. 12.

Ps. 70. *Ne putes* (inquit) *solum hominem ad gratiam pertinere. Tibi debent quòd iuste viuant.* Et serm. 10. de verbis Domini. *Profectò & bonam voluntatem quâ meliores essent, nisi operante auxilio Creatoris habere non possent.* Et l. 9. de Ciuit. Dei. c. 12. loquens de Angelis electis. *Illi* (inquit) *amplius adiuti ad beatitudinis plenitudinem peruenerunt.* Et Enchiridii cap. 100. *Quos benignè* (inquit) *prædestinauit ad gratiam.* An Fulgentius, quem vt Augustini perpetuum asseclam etiam vindicas tibi? Atqui l. 2. ad Trasymondum sic habet. *Non alia* (gratia) *stantem Angelum à ruinâ potuit custodire, nisi illa quæ lapsum hominem potuit reparare.* Nota. *Non alia gratia.* An Bernardus, cui etiam faues, quia fauere tibi & ipsum putas? Atqui serm. 22. ita de Angelo & homine loquitur. *Vtrique fuit æqua redemptio, saluans illum & seruans istum.* Nota. *Æqua redemptio.* Idem sentiunt omnes Patres, Basilius, Chrysostomus, Gregorius, Ambrosius, Damascenus, Anselmus, D. Thomas, &c. *Aliunde* (inquit Damascenus) *sanctitatem habent, quàm à suâ naturâ; nimirum à Spiritu Sancto.* Quod etiam probat Basilius

Tractatu de Spiritu Sancto. c. 16. & Ambros. l. 1. de Spiritu Sancto c. 7. & Augustinus l. 10. de Ciuit. Dei c. 9. exertè gratiam distinguit in illis à naturâ *Simul* (inquit) *in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Vnde concludit. *Confitendum igitur est cum laude Creatoris etiam de Sanctis Angelis dici posse, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum.* Cùm igitur omnes Patres in hac sententiâ sint, quis tecum in aliam pedibus discessit? Audi quis. Lutherus cap. 3. in Genesim. Caluinus l. 1. Instit. c. 15. Chamierus l. 1. c. 1. & alii passim hæretici. Hos suffraganeos habes, hos antesignanos, & cùm talis sis, taléque habeas à partibus tuis, audes alacer & promptus in nos insilire, appellans Catholicæ Religionis desertores, superbos arbitrii sui defensores, Semipelagianismi reos, damnatos anathemate atque proscriptos. O censuram quæ dat veniam coruis vexátque columbas!

Vrgetur. IV. Hîc enimuerò, hîc exclamare
Math. 3. cum Christo licet. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis; duces cæci, excolantes*

culicem, & glutientes camelum. Nam quid eſt homo Angelo comparatus, niſi culex ad camelum? Ego non quia hominem arbitrio dedi, non quia partitus ſum cum gratiâ, ſed quia ſolummodò in partem operis, inſtar inſtrumenti concurrentis adiunxi, ego, inquam, ſceleſtus: ego Catholicę Fidei deſertor, ſuperbúſque defenſor arbitrii & damnatus, & proſcriptus appellor; tu qui totum quantus quantus eſt, camelum glutis, hoc eſt omnes Angelos, qui ſunt & numero infiniti, & naturâ præcellentes, ſolis arbitrii viribus, & non gratiâ diſcretos doces: tu, inquam, talis ac tantus arbitrii fautor contra omnes Patres, contráque tuum, vt iactas, Auguſtinum, audies apud vniuerſos eximius gratiæ propugnator? O inſignem in arte fallendi veſtram induſtriam! Ego verò rem attentiùs conſiderans, non vos Semipelagianos (erraret enim qui de vobis tam arctè ſentiret) ſed Pelagianâ tantò maiorem hęreſim puto, quantò vni præſtant ouiculæ nonaginta nouem in eremo derelictæ. Imò quia hominem fato immolatis alieno vt Manes, Angelum facto proprio vt Pelagius, ita de hac ſectâ ſta-

tuo sentiendum, vt geminum in eam coaluerit monstrum, quod vno verbo dici potest, *Pelagiomanichæum*.

V. Neque vim tamen argumenti sic prorsus eludes. Nam vrgebo de ipso Dei concursu qualicunque tandem, naturali, supernaturali, appella, vt voles, opponámque vel ipsum ab arbitrio determinatum fuisse, vel ab ipso arbitrium Angeli, Vtrum? Si primum dicis, ergo præuolauit arbitrium creaturæ, concursui Creatoris: ergo sine Creatore saltem impulit, saltem inchoauit, quod est blasphemiæ proximum. Si secundum, ergo non se discreuit viribus arbitrii, sed auxilio Dei præcurrente ac prædeterminante, neque in Angelo alia libertas à nostrâ fuit, quod negas tamen. Vides te vtrinque constringi, neque euadere posse, seu gratiæ tribuas id operis, siue naturæ.

CAPVT NONVM.

Explicatur gratiæ cum voluntate concursus.

I. VErùm enimuerò cùm parùm admodum sit te cecidisse, nisi nos

etiam ſtemus, tuis nunc argumentis ex noſtro faciendum eſt ſatis.

Quæris vtra determinet, gratiáne an voluntas? Reſpondeo voluntatem à gratiâ præueniri, gratiam à voluntate ad opus quod optat ipſa, cooptari. Eſt enim, authore Baſilio, Spiritus Sanctus in nobis velut *ars quædam diuina*, quâ qui eam habet, vtitur quando vult, & quomodo vult. Inſtas: Si voluntas gratiam cooptat, atque ad opus eam admouet, anteuolat ipſa, præcurrítque gratiæ. Reſpondeo, cùm iugum ſit & ſocietas ambarum, ſimul trahere, ſimul concurrere vtramque, neutram præcurrere; nam neque ars ſine artifice, neque artifex ſine arte quicquam facit. *Gratia Dei mecum* (inquit Paulus.) *Qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te* (inquit Auguſt.) Vnde ergo dicitur altera determinare, altera determinari? quia nempe tametſi ſimul vtraque concurrat, tamen aliter iſta, aliter illa concurrit. Cùm enim animus rem ipſe cognoſcens, ac rationum pondera velut in bilance vtrinque perpendens, ſeſe flectat, ac quodammodo in alteram partem libret nutu proprio & ex præuiâ cognitione: hinc ille ſe mouere ſeu determi-

nare ad opus statuitur; hoc est enim libertas. At verò gratia cùm vita ipsa non sit, sed auxilium tantùm habitúsque vitæ; coaptatur ad animæ nutum, quem ipsa tamen excitat atque præscribit. Possunt enim duo spectari in hoc opere momenta; vnum quod solius est Dei antecedentis excitantísque voluntatem, alterum, quod Dei simul est & hominis. In primo Deus vult intendítque consensum, in secundo impetrat à voluntate. Vnde in Scripturis repræsentatur vt procus animæ, & vt Sponsus. Vt procus ambit, vt sponsus ambitur. Hoc est amat & amatur, eligit & eligitur; sed prius amat & eligit; deinde amatur & eligitur. Finge puerum nutricis in sinu, finge ambulantem eiusdem nutricis adnisu. Ecce infantulus primùm ab hac nutrice suscipitur, tum pedibus nititur suis, auxiliúmque gerulæ sic determinat, vt in partem quò cupit, illud ipse deflectat, cùm tamen absque nutrice possit omnino nihil. Idem statue de gratiâ arbitrii *nutrice* atque gerulâ. Sic enim suscipit, sic sustentat, sic fulcit, vt liberam ipsius in opposita conuersionem non impediat, & quamquam voluntatis est optio; tamen sine

Sapient. 16. omnium nutrici gratiæ tuæ.

hac nutrice non optat, non ambulat.

II. Quod neque nouum est, neque gratiæ singulare. Idem fit in concursu naturali Physicæ libertatis, quam non negas: ad quam tamen sic cum homine concurrit Deus, vt eius expectet præstoletúrque consensum; denique homo est, qui concursum Dei determinat. Vnde hoc?Quid est quòd vtroque simul æqualitérque conspirante ad opus, hic agere, ille agi qnodammodo dicitur? Respondendum est, vt iam respondi, id accidere ex vtriusque diuerso concurrendi modo, nam sic homo concurrit, vt ex*immediatâ* cognitione se accingat ad opus, sic autem Deus, vt quamuis antecedente dirigat auxilio vigil & oculatus; tamen si de *immediato* concursu sermo est, insensibili *ac mortuo quodam modo* applicari se sinat: atquin eadem est ratio gratiæ atque naturæ; non enim gratia modum immutat operandi, sed auget ac perficit. Neque physicam libertatem aufert arbitrio, imò sic corroborat, vt non naturam modò frænet, vt olim in Adamo, sed etiam concupiscentiam malam, vt nunc apud nos in Christo, quod quidem est vtriusque gratiæ proprium

Confirmatur exemplo concursus naturalis.

ac singulare discrimen. Licèt igitur adsit gratia præueniens, impellénsque ad opus, oculata quidem illa, atque ad scopum apprime collimans; tamen ea quæ concomitans dicitur, instar artis infusæ, protinus indiscusso negotio iugalis atque collega concurrit. *Si enim tollitur voluntas* (inquit Ambrosius) *vbi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, vbi ipsa est bonorũ causa meritorum?*

L. 1. de vocat. gent. c. 1.

Vides itaque difficultatem hanc primam, quæ tibi mecum est communis, huiusmodi ratione planè dissolutam.

CAPVT DECIMVM.

Diluuntur obiecta de præscientiâ Dei.

I. VEnio ad ea quæ cum omnibus hæreticis obiicis de præscientiâ Dei, quam esse vis decreto posteriorem, simúlque nostræ libertatis interfectricem. In quo quia distinguenda non distinguis; idcirco non confundenda confundis. Geminam enim agnoscere nos oportet in Deo rerum scientiam; alteram causam cur sint: alteram euidentiam seu testimonium quòd sint; illam decreto priorem, hanc posteriorem.

Nam quia cæco modo non agit, antequam decernat esse futura, videt vnde sint futura. Voluntas enim à cognitione dirigitur, quemadmodum manus ab arte. Vt itaque per gratiam aliquid decernat, secernat ipsam priùs oportet vt congruam aptámque ad mouendum. Propterea enim dat illam & non aliam, quia talem nouit, vt impetratura sit consensum, si detur, hoc est efficacem. Porrò quia videt hanc efficaciam seu congruitatem libertati minimè nocere; hinc illa scientia quę rem videt sic liberè futuram, si talis gratia detur, tantùm abest, vt libertatem suâ infallibilitate destruat, quin eam potius obiecti præsuppositione constabiliat, quandoquidem non potest non esse liberè futurum ex influxu gratię, quod ex illius effectu Deus videt esse liberè futurum. Non enim ideo futurum est quia videt, imò ideo videt, quia futurum est. Sicut non ideo lego, quia legentem me vides, imò legentem me vides, quia lego; quo exemplo vtitur Augustinus. Neque propterea legentem cogis, quia non possum non legere, si legentem vides: eodem pacto non ideo cogor, quia Deus me vi-

det tali tempore talísque loco hæc vel illa facientem, sed ita potiùs videt, quia ita fit.

Authoritas Patrum. II. Ac quanquam hæc est expedita ratio, quâ vt vides, non solùm libertas nostra, sed etiam omnium fides incolumis, atque vt ita dicam sarta tecta vndique teneatur; nihilominus, ne me fortasse putes ista nouo quodam effugio comminisci; libet hîc attexere quid eâ de re senserint antiquissimi Patres. Et certè Clemens primus omnium hanc acerrimè causam contra primogenitum diaboli Simonem agens, contendit necessitatem nemini à Deo fuisse per præcepta legis impositam, *Non enim* (inquit) *Deus eget victimis nostris, qui naturâ nullius rei est indigens; quin imò cùm sciret iam antea sui amantissimum Abelem, & Noë & Abraham, cæterósque deinceps vltrò grato animo sacrificium obtulisse, non vllius intuitu legis, sed solius officio pietatis impulsos; idem quoque à posteris Hebræis lege cauit, ea demùm sacrificia approbans, quæ à liberâ rectâque mente proficiscerentur.* Sic ille. Vbi vides libertatem animi non solùm Dei scientiâ, non auferri, sed ne lege quidem. Hinc illud antiquum. *Vltroneus offeret.*

Clemens vixit an. 80. l. 6. constit. Apostol. c. 20.

Dionysius quoque ac Iustinus Martyr Dionys.
qui statim à primo sæculo sunt exorti, Areop. an. 100.
graues hac de re disputationes instituêre. de cęlesti
Quo etiam tempore Tatianus oratione Hierar.
contra Græcos hæc habet. *Porrò verbi po-* c. 9. Iustin. Mar.
tentia, cùm secum multo antè prænosset, quid an. 150.
euenturum esset, non ex necessitate & fato, orat. ad gentiles.
sed libero eligentium proposito, (aduerte) Tatian.
rerum futurarum exitûs prædicebat. Idem an. 160.
ab Athenagorâ, Irenæóque mirâ vi elo- oration. contr.
quentiæ disputatum. Idem ab Origene Græcos.
quoque contra Celsum, vbi tractans hæc eadem quę tu obiicis argumenta, sic disputat. *Videamus quid Celsus dicat postea. Hæc* (inquit) *cùm Deus esset, prædixit, & omnino oportebat fieri quod prædixerat. Deus ergo suos Discipulos & Prophetas, quibuscum cibum & potum sumebat, eò necessitatis adduxit, vt contra ius ac pietatem facerent, &c. Respondebimus & ad hæc, quando iubes, vt ne ista quidem argumenta prætercam, quæ mihi videntur friuola. Celsus putat, quod aliquis præscius prædixit, ideo fieri, quia prædictum est; nos verò minimè id rati, dicimus non prædictionem causam esse futuri, sed è contrario futurum illud, quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam*

prædicendi præbuiſſe. Ita Origenes, qui, vt audis, idem quod nos, eâdémque ratione reſpondet.

III. Sed ne infinitus ſim in his authoritatibus adhibendis; ad Auguſtinum, quem ex omnibus vnum vnicè ſuſpicis, prouocandum puto, qui libro 5. de Ciuitate Dei cap. 10. ſic habet: *Nullo modo cogimur aut retentâ præſcientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum; ſed vtrunque amplectimur, utrunque fideliter & veraciter confitemur..... Neque ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit; imò ideo non dubitatur ipſum peccare cum peccat; quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud* (animaduerte) *non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit: qui ſi nolit, vtique non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.* Et alio loco, *Quid ergo? coëgit nos Deus vt ſibi mali videremur ab æterno? abſit: nam potius nos coëgimus eum, vt nos malos videret.* At neceſſe eſt (inquis) vt id ſit quod præſciuit; omnino (reſpondet.) *Sic etiam cum dicimus neceſſe eſſe, vt cùm volumus, libero velimus arbitrio; & verum*

Tom.8 l. 4. quæſt. 13.

L. 5. de ciuit. Dei c. 10.

verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum arbitrium neceſsitati ſubÿcimus, quæ adimit libertatem. Et cui igitur neceſſitati ſubiicitur? ei nimirum quam Scholę vocant hypotheticam ſeu conſequentem; quia ſi res ſupponitur eſſe, omnino neceſſe eſt eſſe, & eo modo eſſe, quo ſupponitur.

IV. Quòd autem efficacia gratiæ, ab hac operis liberè futuri præcognitione ſeu præſcientiâ proueniat, docet l. 2. de Orthodoxâ Fide. *Electio* (inquit) *bonarum actionum, Dei auxilio aſcribenda ſecundùm præſcientiam ſuam opem ferenti.* *Efficacia gratiæ quid ſit.*
Et quid hoc eſt, ſecundùm præſcientiam ſuam? Explicat. *Quia vocat, quomodo ſcit congruere, vt vocantem non reſpuat, & quomodo eis vocari aptum eſt vt ſequantur.* L. 1. ad ſimplic.
En ea, quam diximus, gratiæ congruitas. *Intereſt enim* (inquit) *quibus articulis temporum gratia plenior & euidentior infundatur.* Nam ex mobilitate ingenij ſeu naturâ noſtrę libertatis fit, vt quod vno tempore reiectum eſt, alio non diſpliceat. Eam autem congruitatem quia & pręuidet & amplectitur Deus ex amore quo proſequitur electos, *propterea* (inquit) *vocanti Deo rectè tribuitur, quòd* C. 17. de don. perſeuer.

benè velimus. Ista igitur dona quibuscumq; Deus donat, procul dubio donaturum se esse præsciuit, & in suâ præscientiâ præparauit.... & non est præscientia causa eius quod futurum est (saltem immediata, seu influens, vt loquuntur, licèt sit causa dirigens) *sed id quod futurum est, est causa præscientiæ* Nam vt egregiè Eusebius: *Quemadmodum si quis temeritatem hominis alicuius perspexerit, animique cæcitatem, tametsi non dubitet eum periculosos itinerum inter anfractus, temeritate suâ periturum; haud ei tamen est temerarij causa lapsûs; sic omnino de præscientiâ Dei statuendum est nobis.* Quod & Nyssenus exemplo Medici confirmat, morbi causam effectáque preuidentis, cuius ipse minimè sit author.

L. 6. de prępar. Euang.

L. de vitâ Mosis.

Quòd si dicat Apostolus: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*, id ideo dicitur (ait Anselmus) quia quemadmodum nudo si detur vestis cui non debetur, in potestate quidem eius est, eâ vti vel non vti; veruntamen si vtatur, *non est induti quòd indutus sit, sed miserentis, id est vestem dantis, at si ipse acceptam proijciat, non alij quàm ipsimet imputatur nuditas*; ita & cùm Deus gratiam confert, eâ si vtare, non est volentis neque

L. de concordiâ gratiæ.

currentis, ſed miſerentis Dei, quam ſi tamen abiicias, *perditio tua ex te Iſrael.* Hoc idẽ Iaius in Actis Cõcilij Tridentini.

CAPVT VNDECIMVM.

De permiſsione peccati.

I. IAm quòd addis Deum permittere non poſſe peccatum, niſi ſit ipſe cauſa peccati, planè Caluinianum eſt & impium; nam vt rectè Plato apud Martyrem Iuſtinum, *quidlibet aliud inueſtigandum eſt, ne ſit author peccati Deus.* Omnino fateor ſi impoſſibilia iuberet, vt cenſes, ſi ſubſidia negaret omnia, vt credis, ſi incumbens imminénſque nobis induceret in fraudem, vt peruerſiſſimè doces; tum imputandum illi fuiſſe, quicquid ex eius actione neceſſariò ſequeretur. Qui vult enim antecedens, vult & conſequens ei neceſſitate coniunctum. Verùm alia longè nobis, diſſimilíſque ratio rerum eſt. Deum exhibemus auxilia dantem, ſuccurrentem, excitantem, cooperantem, denique ita mouentem vt in noſtrâ poteſtate ſit id exequi, quòd intendit. Quòd ſi eius gratiæ noſtrâ peruerſitate deſimus, ipſe in cauſâ non eſt, qui id omne quod ad actionem ex ſuâ

Cur Deus non ſit cauſa peccati.

Orat. I. ad Gentiles.

parte necessarium erat, vltro liberalitérque congessit. *Omnibus* (vt rectè Ambrosius) *dicit Iesus: Volo, qui non vult esse peccatum: velle Christi commune in omnes est.*

In Ps. 118. octonar. 3.

L. 6. cont. Celsum.

Scio (inquit Origenes) *multos nonnullis Scripturæ textibus in fraudem eò datos, quòd non valerent perspicere quid significetur bonorum malorúmve appellatione; at nos dicimus quòd malum, hoc est vitium eiúsque opera Deus non faciat.* Et Eucherius, *Neque enim* (ait) *potest ad peccatum compellere Deus, cui non potest placere peccatum. In his ergo non prædestinatio diuina intelligenda est, sed præscientia. De hoc in Euangelio scribitur. Propterea non poterāt credere, quia iterum dicit Isaias; Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c. non poterant credere. Ita dicitur, sicut & nos sæpè aliqua dicimus non posse, quia nolumus. Et de Pharaone scribitur; In hoc excitaui te vt ostenderem in te virtutem meam: neque enim dixit: In hoc te feci vt talis esses, sed in hoc elegi te & suscitaui, cùm te talem ipse fecisses.* Nimirum, vt ait Propheta, *applicabit gladium eius*, id est malitiam impii, ad eum finem quem intendit, ipse conuertet.

De quæstionibus difficilibus veteris & noui Testamenti.

Iob. 40.

II. At impedire poterat & non impe-

diuit, retinere cadentem, & cadere permisit. Quidtum? nempe vt vniuersalis & prima causa suâ quemque sinit currere lege, arbitrióque moueri. An expectamus noua miracula patraturum, vt suâ sponte cadere volentem in abrupto suspendat? Quare permittit? (inquis) quare tute ipse permittis, (insto ego) cùm aliud atque aliud eius gratiâ tuóque possis arbitrio? quis te cogit? quis impellit liberè agentem? Deus? imò dat gratiam, legem, voluntatem; cur ergo iubenti non pares? cur excitantem non audis? cur contemnis? At, qui non vetat peccare cùm possit, iubet. Ita quidem, si proxima causa est mouens se ac determinans ad opus, aut si ipse proximus est, ad id impediendum lege charitatis obstrictus. Verùm si ab alio determinetur, attrahatur, applicetur eo modo quo exposuimus, si vt prima causa coagat tantùm, tum verò ne legem infringat & suam, & naturæ: permittere debet attrahi sese, nec contrà obniti. Itaque quantumuis aliquo modo concurrat ad peccatum; quia tamen id fit præter eius intentionem, causa peccati dici non potest, cùm illa propriè sit causa, quæ effe-

Permittit peccatum vt causa prima.

ctum intendit vt definit Philosophus.

III. Quo quidem ex principio, si quid sapis, intelliges quoque discrimen inter adultos & infantes; quare isti iure deserantur, illi non item. Nimirum quia infantibus ante baptismum nulla dari gratia sine miraculo potest, hinc fit, vt deserti destitutíque in peccato moriantur; & adulti contrà, quia sine dispendio naturæ deseri non possunt, iis necessaria propterea præsidia subministrantur ad eligendi liberam potestatem. *Quotidie omnibus filiis suis dicit, qui seriùs veniunt ad gratiam Christi, Vt quid pigri estis? ecce audiui quia frumentum est in Ægypto.* Ita Ambrosius. Quòd si instes, quare alios miraculo saluet, alios non item; hos auxiliis præueniat efficacissimis, illos sufficientibus tantùm. Ad hoc respondebo cum Apostolo, *Tu quis es, qui respondeas Deo?* Et rursus, *O altitudo! &c.* quia vt optimè Tertullianus, *etsi mali non est author, quia non effector; certè permissor, quia dominator*; est enim Dominus bonorum suorum.

L. de Ioseph. c. 8

Rom. 9.

Rom. 11.

L. aduers. Hermog. c. 9.

CAPVT DVODECIMVM.

Diluitur difficultas de libertate Beatorum ac Christi; item agitur de obstinatis.

I. RElíquum eſt vt de libertate, quam in Beatis, cæteríſque cum neceſſitate coniungis, aliquid dicamus. In quo prona nobis facilíſque reſponſio eſt, vt negemus vniuersè eum actum eſſe liberum qui ſit idem neceſſarius. Proinde amorem beatificum fatemur eſſe neceſſarium, ſed negamus eundem liberè produci niſi fortè in causâ, vt vult Anſelmus, hoc eſt in merito huius viæ. Similiter negamus obſtinatos, infideles, atque damnatos neceſſariò peccare. Aut enim non peccant, aut abſtinere poſſunt ab eo quod peccant. Neque refert quòd eum ſtatum ab iniquis eſſe peroptandum putes. Habent enim quamdiu hîc ſunt, vnde in multis grauiter offendant etiam liberè, & vnde ex conſequenti grauiter ſuo tempore puniantur. Quòd ſi interdum auxilio gratiæ deſtituti, neceſſariis aut malâ conſuetudine, aut etiam iuſto Dei iudicio, vitiis implicentur, (vt nonnullorum fert opinio) id imputent ſibi:

justum est enim, vt desertores deserantur.

Libertas Christi. II. Nam quod vrges de libertate Christi, mysterium est quod non capis sicut neque cætera. Si enim Christus non fuit liber in morte, quomodo meruit nobis libertatem? quomodo dicitur inter mor-
Ioan. 10. tuos liber? quomodo ipse dicit, *habeo potestatem ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*? Vbi laus? vbi meritum? vbi virtus, si nihil non egit necessitate compulsus? aut qualem habemus Christum, si pro Christo habemus fatum? Facessant à Christianis huiusmodi blasphemiæ dignæ Antichristo. At non potuit (inquis) non parere præcepto Patris. At potuit petere dispensationem ab hoc præcepto, eámque impetrare. Propterea
Math. 26 enim Petro percutienti dicebat. *An putas quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quorsum has duodecim legiones, si peteret Filius, daret Pater, nisi vt eriperetur à morte Filius, cessaret à præcepto Pater? Erat igitur in eius liberâ potestate mori vel non mori, quia erat in eius liberâ potestate à præcepto eximi vel non eximi. *Quis ita dormit* (inquit

Aug.) *quando voluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt quando voluit? quis ita veſtem deponit quando voluerit, ſicut ſe carne exuit quando voluit? quis ita cùm voluerit, abit, quomodo cùm voluit, obiit?*

CAPVT VLTIMVM.

Concluſio totius Diſputationis.

I. VIdes igitur omnia conſtare nobis, vt omnia in peius ruunt vobiſcum. Probaui per hanc radicem tuam euerti libertatem, leges & iura. Tolli iudicium hominum, & quod multò peius eſt, etiam Dei. Tolli prouidentiam, merita ac demerita, ipsúmque poſtremò Deum. Deus enim ſi impoſſibilia præcipit, ſi innoxios æternâ morte damnat, non eſt Deus. Tolli incarnationem Filij Dei, & fidem, & finem. Te à ſcyllâ lapſum in charybdim, & cùm vni metueres ouiculæ, nonaginta nouem in cælo perdidiſſe, neque tamen centeſimam hâc ratione recuperaſſe, imò hanc fato, illas naturæ viribus vt Christo ſubtraheres, addixiſſe, confuſo in Pelagium Manichæo. Exin itum eſt ad expediendas ſophiſticæ veſtræ ratiocinationis, exoletas *Anacephaleoſis.*

hiam, ac vobis cum antiquis Ecclesiæ hostibus communes tricas, de præscientiâ, prædestinatione, permissione peccati, ac impiorum obduratione; quæ quidem à Patribus ita sunt dissoluta sicut solent ad odorem ignis lina consumi. Vidisti nihil opponi nobis, quod retorqueri non possit in Angelis & in Adamo. Nam (vt disputat Caluinus) non minùs à Deo præuisus est aut prædestinatus primi hominis lapsus, quàm vniuscuiusque nostrum. Vnde si propter præscientiam ac decretum Dei tolli nobis indifferentiam putas; eodem argumento tolli etiam Angelis & Adamo credi necesse est. Adhæc ostendi parem esse quoque disputationem in concursu Dei, ac physicâ naturalíque libertate. Neque gratiam officere naturæ, sed prodesse; neque præscientiam obiectum suum destruere, sed supponere: denique nihil vspiam fieri liberè & necessariò. Pugnant enim ista duo; necessitas atque libertas.

Peroratio. II. Quæ cùm ita sint, cúmque omnium sit ista tua radix, caput ac fons errorum; potéstne si qua tibi veri timoris est scintilla super, tanta pestis in religioso sinu tuo residere? Nam quid ego ad-

mirer magis? téne in hoc hab itu, an te in hoc errore tanto tempore versari? Verè enim dici potest cum Tertulliano, *etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ asperum oleastrum exoriri, etiam de papauere fici gratissimæ & suauissimæ ventosam & vanam caprificum exurgere.* Porrò si luem quæ corporibus incumbit, exigi procul oportet, multò magis id exitii necesse est arceri, quod animarum saluti imminet, quódque serpit vt cancer. L. contr. hæres. c. 36.

III. Quamobrem hortor inprimis omnes Catholicos, ne hanc in agro suo sinant radices agere radicem. O radix amaritudinis & peccati! O vbi securis ad radicem! Vtinam abscindantur qui vos conturbant! sed vtinam conuertantur. Hoc enim secundo loco tecum ego peroro. Cucurristi enim hactenus, sed extra viam, extráque vitam, quia extra vitem palmes, aut iam excisus, aut mox excidendus, ni resipiscis. Quod te iterum, iterúmque per Iesu Christi sanguinem obtestor. Miserere animæ tuæ placens Deo, non tibi.

DISSERTATIO PRIMA.

De naturâ hominis.

Quæritur vtrum ſit homo mortalis an immortalis à naturâ.

Ad Oenobarbum Theologum.

Argumenta partis aduersæ.

I. NÆ tu mirus es, Oenobarbe, qui quòd hominem à naturâ dixerim neutrum, hoc eſt, neque mortalem, neque immortalem ex ſeſe; æquo animo ferre non poſſis. Exiſtimas enim inter hæc priuatiuè contraria medium non dari. Inſuper, vbi qualitatum inter ſe rixa ſit aſſidua, negas paci locum eſſe poſſe, ne dum immortalitati. Præterea vt es acutus in diſputando, ſic aduerſùm me colligis. Conſpirant, ais, in totum partes, ex iiſque conſpirantibus exiſtit vnum; vnde ſi componendarum inter ſe altera ſit eneruis atque mendoſa, totius inde compoſiti ruinam ac vaſtita-

Primum. *Secundum.* *Tertium.*

tem emergere necesse est. Compositionem enim vt conclusionem, semper in deteriora prolabi. Denique ex alterius impedimento rotæ, totius rhedę cursum impediri.

Enimuerò claudicare carnem nostram, & vt animus enitatur in sublime, tum adhęrescentis visco materiæ sensim sine sensu deteri, tum senio collabentis in dies, vsque vsque contabescere. Quid plura? Alterationem quæ corruptionis ipsa principium est atque causa, nullo non tempore pati, ac proinde velis omnibus ire in interitum. Quòd si qua spes est immortalis perpetuæque vitæ, ex æquilibri reparatione succi vitalis, qualis in paradiso fuit per arborem vitæ: hoc, inquis, priuilegium est, quod æquè cani, si Superis ita visum fuerit, ac homini concedi potest. Ergo, ne canes, vt apud Homerum, ambrosiâ pastos, immortalitate donemus: statuamus oportet, omnibus ex æquo corporibus, vt naturam parem, ita consimilem nascendi, moriendíque necessitatem.

Hæc sunt argumenta tua domestico sæpè mecum iactata iurgio; quæ si patiere Theologicum ad examen calamo

paulò accuratiore reuocari : nimirum non inualida modò, ſed etiam exucca,ac contra morem tuum penitus exanguia, tute facilè recognoſces.

Status quæſtionis. II. Atque vti res exploratior euadat, conſtabiliendum eſt à nobis ante omnia, totius controuerſiæ primarium caput.

Spectantur in naturâ, tres naturæ ſtatus : duo pugnantes, innocentiæ atque culpæ, tertius inter ambos medius,quem *pura natura* vocant. Ac primum quidem fatentur omnes immortalem à gratiâ. Secundum quoque mortalem à pœnâ, priuilegio vtrumque vel donantis, vel punientis Dei. De tertio quæritur,vtrum ſit ex ſeſe mortalis, an immortalis : hoc eſt, exigátne tandem ex *intrinſecis naturæ principiis*, aliquando mori, ánne nunquam ?

Tres ſententiæ. In hac porrò celeberrimâ quæſtione, tres ſunt omnino ſententiæ; tua, mea, & tertia, quæ nec tua, nec mea; tua mortalem aſſerit ab intrinſeco, mea nec mortalem nec immortalem, tertia non mortalem, ſed immortalem. En ſtadium, en pugnæ campus : nunc conſerendæ manus.

III. Inprimis, quî tibi venit in men-

tem vt crederes hominem à naturâ neutrum esse non posse, in eóque nos pugnantia loqui, quia inter duo priuatiuè contraria, medium dari non putas, qualia sunt mors & immortalitas? Imò non vides in hoc rerum cardine quot & quanta sint ἀδιάφορα nobis, quæ pugnant inter se tamen, etiam priuatiuè, vt vis? Exemplo sunt tibi virtus & vitium, morbus & sanitas, opes & egestas; postremò omnia quæ sunt ex accidenti. Horum, inquam, omnium vt natura libera est, ita neutra. Nam si quæram ex te, sisne naturâ bonus an malus, sanus an æger, pauper an diues? respondebis te nihil horum à naturâ Nemo enim nascitur bonus, nemo malus. *Nascitur*, inquit Augustinus, *virgo, nulla tamen nascitur sacra virgo.* Sic ille libro de virginitate, c. 10. Ecce virtutem naturæ negat, alio loco vitium. *Neque enim*, inquit, *peccatum natura est, sed naturæ vitium est.* Medii itaque nascimur inter vitium atque virtutem. Quidni pariter medius quidam status sit, mortis & vitæ, sic in vtramque paratus, vt & ei immortalitas, & mors sit aduentitia; altera beneficio gratiæ, altera merito pœnæ, homine interim inter ambas constituto?

Solutio primi argumenti.

Quo casu, nec mortalis erit ille, nec immortalis à naturâ, vt argumento manifestum relinquitur.

IV. At enim blasphemamus, inquis, mortem inter accidentia reponentes, ipsa cùm sit ineluctabilis supremáque necessitas.

Equidem fateor eo nunc loco res esse, vt nemo à morte sit immunis. *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur.* Hoc inquam & fatum hominis est, & effatum Dei. Sed aliud est naturæ conditione, aliud supplicio mori; imò mors inde concluditur haud hominis esse natura, quæ delinquentis exorta est pœna. Nam si peccati stipendium est, vt ait Apostolus, ergo non à nascente profecta est, sed à moriente potiùs, aut vt meliùs dicam, ab ipsâ morte mors est. Habemus itaque mortem, non coæuam nobis aut cognatam, sed succedaneam, atque posthumam, ipsámque adeo vitio deliquióque naturæ, non naturâ natam.

Primum argumentum à decreto pœnæ.

Tu verò in transuersum omnia posthabens, hominem definis, vt olim, animal rationale mortale, dásque pro differentiâ indifferentiam, pro naturâ casum, pro necessitate fortunam. Atquin ex Augustino

gustino mox intelliges, damnari eos, qui dicunt *etiam sine peccati merito moriturum hominem ex naturæ necessitate*, quam nullam agnoscit. Quòd si nulla est mors ex necessitate naturæ, ergo non est homo naturâ mortalis, sed pœnâ. Rursus, etsi mors non est à naturâ nobis, quia tamen est à casu, propterea neque naturâ immortalis est, sed vt Patres asseuerant, in vtriusque confinio naturæ LIMES QVIDAM: nec planè immortalis vt Angelus, nec planè mortalis vt brutum, sed vel vtrumque à naturâ, vel potiùs à naturâ neutrum, ἀμφισβητός. Ecce sine contradictione res currit, vt vides, & ratio, & Fides. Lib. 1. de pec. meri. c. 2.

V. Nam quod addis in positione totius vt in conclusione debiliorem iniri partem, atque vt cursum in curru, si rotarum altera desit, impediri: fateor, hęc exempla probarent, si essent exempla: sed immensa dissimilitudo est. Neque enim sicuti rota rotæ, ita corpus animæ congruit. Verùm hoc exemplo stare si vis, fac alteram ab alterâ, infirmámque à firmâ fulciri. Aude maiora: pone spiritum in rotâ, hoc est in corpore, qualis est apud Ezechielem, feruidum illum *Solutio tertii argumenti.*

quidem & immortalem, at ambrosiâ pastum, cuius beneficio ac virtute vniuersa subinde membra reflorescant; en hoc denique pacto habebis in rotâ rotam, hoc est in corpore spiritum perpetui principium causámque motûs. Quid si ipsa quoque materia corporis nostri per sese corruptionis est exors? Quid si eadem sit cum cæli materiâ, & genere, & specie? Negabis in eâ potentiam seu capacitatem incorruptionis, in quâ sit iam actus?

Solutio secundi argumenti

VI. Ac tu quidem qualitatum inter se pugnas nequicquam obtendis. Est enim hoc non tam ciuile bellum, quàm commercium, vt quasi ex condicto symbolum vnaquæque suum in rem conferat publicam atque communem, fiátque ex discrepantibus velut in harmanico quodam concentu, artifex & Deo digna *consonantia vitæ*. Porrò facilè ac pronum est animæ, ceu musicas inter partes præsidi, si fortè quid interciderit absoni, atque à legibus alieni, in officium deerrantem cogere, ac vel impetum, si excedat, inhibere, vel defectum, si laboret, restituere. Sit exemplo mundus ipse: ecce tot inter elementorum assidua bella

ſtat à ſæculis incolumis, cur non & homo, qui alter mundus eſt? *Montes vruntur,* (inquit Tertul.) *& durant*: cur non & mentes? Vtrobique incendium eſt, vtrobique pugna. Suo mens æquè ac mons ardet in corpore, & eſt ignis ille perpetuus, *auræ particula diuinæ.*

Inſtas, alteratio corruptionis initium eſt & cauſa. Ita quidem niſi temperetur. Sed eſt modus in rebus, eſt legum vitæque norma, eſt denique elementorum pax atque fœdus, vt in toto orbe, ſic in membris. Audi Petrum Alfons. de hoc Adamęi corporis egregio fœdere egregiè differentem. *Fecit eum,* (inquit) *de elementis ſubtilioribus, & omnino æqualiter de omnibus, & hoc vt & ipſorum qualitates vim aliquam quòd ſe inuicem ſuperandi aliquatenus non haberent, & eum talem qui & mori, & non mori valeret.* En expreſſam apprime, vt vides, noſtram mortis indifferentiam, tuam (abſit inuidia verbo) prępoſteram hominis differentiam. Ex quo intelligis rixam hanc qualitatum quam obiicis, non tam fore in illo ſtatu vitę, pugnam quàm exercitium. Ait enim: *vim habituram ſe inuicem non ſuperandi, futurúmque hominem talem qui*

Inſtantia.

Lib. 10.

posset mori, & non mori. Medium ergo.

Noua obiectio. VII. Obiicis iterum ali nihil posse sine detrimento: vitam ipso vitę consenescentis vsu deteri, atque vt in lucernâ, *quadam* (Aug. verbis vtor) *stuppa senectute consumi.*

Miror te, qui hęc obnuntias, animum ad lucernas non adiecisse inconsumptibiles: quas si potuit ars efficere, quanto magis natura maior & melior? pręsertim cùm & vita lucerna sit, & cibus oliuũ fuit. Apud Vestam ignis æternus, quare non apud vitam alimenti reparatione non absimili? Nequit (inquies) reparari vitalis humor ad æquilibrium. Quidni verò? aut vnde impossibilitas tanta, si arbor est fructúsque vitę, qualis in Paradiso? si victum pręstet, qualem Adamo? si pluat è cęlo manna, quale in eremo, plebs vbi viget *ad instar æternitatis*, extorris licet?

Tertull.

Admittis factum, sed ex priuilegio, tantundem, inquis, potuit in cane. O sagacitatem! ergo animam brutam, corpoream, denique caninam cum *sorore* confers *Angelorum*? quasi spiritum hominis nescias, vt sapiens loquitur, *inexterminabilem*, adeóque suę carnis æter-

Tertull.

Secundum Argum. ab immortalitate animæ.

num vt ita dicam, Procum. Viuere, fateor, & ſine hac coniuge poteſt, ſed exul & cęlebs, opus imperfectum & portio. Poſtremò quamdiu viuit, quamdiu ſpirat, ad hanc anhelat. Hic amor, hę faces, hę primę nuptię; ergo ne fruſtra natura collaboret: prouidenda coniunctio, æterno æterna. Quę ſi eſt impoſſibilis, quomodo hanc animus ambit? quo id pacto natura ſperat, quod natura deſperat? aut *quæ ratio ambiendi, vbi nulla ſpes eſt obtinendi*? Sed audi Pugiles in hac Theologicâ Palæſtrâ primarios. Sic enim Strabus. *Lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat, vt qui ex eius fructu comederet, perpetuâ ſoliditate veſtiretur, nullâ infirmitate vel anxietate, vel ſenij laßitudine fatigandus.* Hugo autem à S. Victore ſic ſcribit. *Lignum vitæ habuit in ſe naturam, vt perpetuaret homini vitam, ſi competenter ederetur, factus eſt enim homo & mortalis & immortalis: Immortalis quidem, quia poterat non mori per cibi ſuſtentationem quo egebat; mortalis autem, quia perire poterat per extrinſecam violentiam.* Idem de eiuſdem arboris naturali virtute ſentit D. Tho. 1. parte quæſt. 97. art. 1. Idem Pererius, Molina, aliiſque

Saluian.

In Geneſim.

non pauci, nec ignobiles.

Tertium argumen. à possibilitate.

VIII. Et verò cùm omnia Deo possibilia sint, quis neget ei cibos ad manum esse innumerabiles, quorum natiuâ virtute vescentis ætas ad æquilibrium restauretur? Quid enim hac in re difficultatis tam horrendæ, vt ab eo superari nequeat arte vel naturâ? cibo vel remedio? deficit, haud inficior; ætas ætate: sed ipsa defectio cùm sit intra limites, intráque mensuram, quare vinci non possit ex tanto vicissim, ex quanto antè vicit? Vbi næuus? vbi contradictio? quid denique impedimenti? Sed audi insignem Aristotelicæ militiæ primipilum. *Supponamus*, ,, inquit, *dispositionem requisitam ad con-*,, *seruationem hominis esse calorem vt sex*,,, *v. g. & frigus vt duo; licèt ergo per ali-*,, *mentum deperdat homo aliquem gradum*,, *caloris, & acquirat aliquem frigoris, aut è*,, *contrario amittat aliquem frigoris, & ac-*,, *quirat aliquem caloris, iuxta diuersitatem*,, *cibi: & ita aliqualiter infirmetur homi-*,, *nis dispositio; cur tamen non poterit esse*,, *aliquod aliud alimentum oppositum prio-*,, *ri, per quod homo amittat gradum quali-*,, *tatis productum per primum cibum, & ac-*,, *quirat alium gradum deperditum, & ita*

Arriaga disp. 11. de generat. sect. 5. sub sect. 3.

„*continuò amittat & recuperet gradum ne-*
„*cessarium ad perfectam eius dispositionem,*
„*& consequenter nunquam ratione cibi mo-*
„*riatur.* Sic ille, tum hæc subiungit, *Con-* *Quartum argumen. ab experientiâ.*
„*firmatur experientiâ quotidianâ, quâ vi-*
„*demus homines morti vicinos, in quibus*
„*temperamentum iam planè erat deperdi-*
„*tum, paulatim ciborum & medicamento-*
„*rum vi pristinā recuperare sanitatem, vires,*
„*&c. Ergo possunt cibi non solùm non nocere*
„*absolutè & simpliciter homini, sed illi re-*
„*stituere temperamentum qualitatum priùs*
„*deperditum, per grauem morbum, vel per*
„*alios cibos.* Demum ita concludit: *Vnde*
„*si homo haberet perfectam herbarum &*
„*aliorum ciborum notitiam, posset sine du-*
„*bio in æternum se conseruare, recuperando*
„*per secundum cibum contrarium priori, vi-*
„*res & dispositiones amissas per priorem.*

Ecce vides homini in statu naturæ etiam lapsæ concedi per cibum immortalitatem: quantò ergo magis, in statu naturæ puræ quo de agimus? nunc enim, vt ait Aug. *ista refectio defectio est*, at tum ipsa defectio refectio foret.

Conclusio.

Summam igitur ita mecum ipse deduces. Animus est ex sese immortalis; materia corporis est ipsa etiam inextermi-

nabilis : iam qualitatum aut pugna nulla est, aut non est talis, quæ componi non possit, ídque sine miraculo, restauratione succi vitalis æquilibri ; cuius exemplum fuit arbor fructúsque vitæ. Erat enim alimentum naturæ hominis maximè consentaneum, & erat naturale, vt probatum est. Ex his omnibus sententiam mortis contra mortem ipsam authore me pronuntiandam puto. Nam cùm vtraque pars incorruptione sui vigeat æternóque fœdere iungatur, quod etsi potest abrumpi, potest etiam eâ quâ dixi, ratione seruari : cùm denique nihil obstet, quæ te anxium religio tenet, aut vnde vsque adeo amicus es mortis, vt eam malis naturæ filiam, quàm culpæ ?

Verùm enimuerò dum hâc ego parte vehementiùs incumbo, non animaduerto patere vulneri aliunde locum : scilicet ex hac quam adstruimus immortalitate. *Obiectio.* Nam si est ab animâ, est à naturâ vt à principio vitæ, quia si maritali ambitu spiritus vnionem exigit æternam, exigit & alimentum tantæ par vnioni. Cui enim debetur finis, & media debentur ad finem. Ergo vi huius argumenti conficitur, vt homo non tantùm possit non

mori, ſed & debeat non mori, naturâ, hoc eſt animâ id exigente.

X. Nihilominus ſtat adhuc illæſa nobis, illibatáq; Neutralitas. Ambiat quantumlibet animus, ambroſiámque ſublimis petat, at caro etiam glande veſcitur, & homo ex vtroque cōſtans inter vtramque poſitus eſt medius eſcam, capax vtriuſque: & ita poſitus eſt, vt ſui in vtramque iuris eſſet, arbitriíque prorſus immunis. Nam etſi cælum animo tangat, corpore tamen ipſe terra & cinis eſt. Hinc erat arbor vitæ, inde mortis: ipſe ceu Rex Conuiuii liber ambarum. *Poſuit*, inquit, *ante eos vitam & mortem*. Et iterum, *Mala*, inquit, *& bona oſtendit eis*. Iuuenem animo finge ante nuptias planè ſuum, cui gemina ſit propoſita Sponſa conditionis longè diſſimillimæ; nimirum erit eligendi facultas, optióque liberrima in vtramque ſeu famulam ſiue Reginam, ſed ea tamen talis ac tanta, vt poſt conſenſum alterutri mancipetur, ante conſenſum neutri. Hæc natura, hoc hominis ingenium ante peccatum fuit. Hinc eum Arnobius vocat *mediæ qualitatis*. Nazianzenus *mixtum ex vtroque; terrenum & cæleſtem; caducum & immortalem*.

Reſponſio.

Eccleſi. 28.

I. 2. aduer. Gen.

Quintum argumen. ab authoritate.

Nazianz. orat. 42.

Damasc. l. 2. de fide c. 12. Damascenus, *in confinio vtriusque naturæ.* Maxen. in Fidei professione. Maxentius, *neque planè mortalem, neque planè immortalem, sed vtriusque capacem proprii facultate arbitrii.* At Lombardus Lomba. l. 2. distin. 19. Epitome Patrum, ac quędam, vt ita dicam, antiquitatis spongia cùm de hoc ageret Adami statu, censuit *quodammodo mortalem* fuisse, *quodammodo immortalem*, neutrum propriè. Denique Aug. Aug. l. 1. de pecc. meritis l. 2. contra eos qui dicunt *Adam sic creatum, vt etiam sine peccati merito moreretur ex necessitate naturæ; Quid respondebunt,* inquit, *cùm legitur & damnando dixisse, terra es, & in terram ibis?* quibus ille verbis mortem negat esse ex necessitate naturæ, sed tantùm ex decreto pœnæ.

Anacephaleosis. XI. Vides itaque, vt aliquando me ipse colligam, téque corrigam, & authoritatem Patrum stare à nobis, & Theologicam abunde rationem hoc est tuam. Tela, quæ contra sparguntur, inania. Concordiam cum August. cum fide, cum naturâ planè mirabilem. Homini relinqui ius sui perintegrum. Mortem non agnatam corpori, sed per peccatum adscitam; neque naturæ partum esse, sed viperæ, malum ex malo. *Ibi corrupta est, ibi violata est genitrix tua.* Postremò quod

erat in votis,quod omnium vnanimi voce postulabatur, tres constitui gradus insignes, omninóque diuersos, immortalem, mortalem, & medium: hunc naturæ puræ, illum corruptæ, tertium consecratę: ac in primo quidem extitisse iam inde à fontibus ἀδιαφορίαν mortis & vitæ, qualem exposuimus: In secundo superesse necessitatem mortis, qualem ærumnosi iamdudum experimur: in tertio autem elucere vitæ perennitatem stabilem ac securam, qualem & optare tùm potuimus, & adhuc in dies optamus, quanquam in multis meliorem. Exinde Adamum à primo ruisse in secundum, cùm ab illo potuisset euolare in supremum immortalis vitæ gradum, merito gratię, iure virtutis.

Hęc igitur omnia cùm animo tantisper ipse peruolutaueris, sententiam tu quoque meam, vti spero, candido lapillo, certè quàm antehac meliore comprobabis.

DISSERTATIO SECVNDA.

De Infantibus illotis, eorúmque post mundi finem statu.

Ad Ananiam Presbyterum.

Causa disputandi.

I. GRAVITER accepi, Vir Inclyte, meam à te sententiam de statu paruulorum, sic esse notatam, vt eam doctrinę Patribus inauditæ planéque peregrinę, postremò hęresis damnares. Additum est etiam, quòd eos ab ignis æterni supplicio vindicarem, dixisse te, hánc sentiendi rationem ad leniendum Matrum dolorem *plorantium filios suos & consolari nolentium , quia non sunt*, excogitatam, ac nouissime confabrefactam à Theologis, vt conuitio appellas, *vxoriis*. Equidem, nisi veterem, quæ mihi tecum intercessit, consuetudinem, apud sanctissimæ recordationis Episcopum Lingonensem Sebastianum Zamettum,

quem in oculis fero ſemper, abſentem licèt, fatóque iam functum ſuo; niſi charitatem etiam Chriſtianam præceptúmque dominicum reuererer; potui forſitan in quadruplum reponere tibi, ſed eſto ſecurus; ego ſic Catholicę veritati conſulam, vt nomini tamen parcens tuo, famæque nihil aliud aggrediar, quàm importunam iſtam, ſaluo Cenſore cenſuram.

II. Ac miror inprimis appellari me in hac causâ nouitatis, aut eos, qui mecum ita ſentiunt, vxorios dici. Quid? vxoriíne Iuſtinus Martyr, Cyprianus, Athanaſius, Nazianzenus, Nyſſenus, Ambroſius, Hieronymus, & ipſe ille quem tibi tanto opere vendicas, Auguſtinus? Vxoriíne Innocentius tertius, Guilielmus Pariſienſis, Petrus Lombardus, Thomas Doctor Angelicus, Bonauentura Seraphicus, Scotus Subtilis, Durandus, Alexander de Ales, Richardus, Gabriel, Marſilius, Magiſtri omnium omnes, vix homines? Vxoriíne Sotus, Catharinus, Picus, Salmeron, Suarez, Vaſquez, Leſſius, Bellarminus, Cornelius, innumeríque alii, quorum omnium ne vnus quidem vxoratus, nedum vxo-

rius? O te fortem in accusando virum! Nam si ne Hercules quidem contra duos, qualem esse te oportet contra tot & tantos? Nisi me fortasse mentiri putas, ac inaniter hac grauissimorum authorum commemoratione terrere te, Mutium imitando, qui quadringentos nominabat, ipse cùm solus esset. Sed implebo fidem, appellabo quos voles, tum singulos, tum vniuersos. Sine me tantùm, vt ne quis deinde næuus occurrat, totius in communi causæ fundamenta preiiciam.

Tres sententiæ.

III. Sunt igitur in hac obscurissimâ de paruulorum statu quæstione tres oppositæ discrepantésque sententiæ. Prima quę Pelagianorum est, beatos in cęlo facit. Secunda, quæ est tua, miseros in inferno. Tertia, cui tu repugnas, ego subscribo, medios in limbo, vel super terram, id est neque omnino miseros, neque omnino Beatos. Ac de primâ quidem, controuersia nulla est, cùm sit id fide cautum: in reliquis ergo duabus tota quęstio vertitur, vtrum *innocentes imagines* (sic enim appellat August.) igni, vermi, tenebris, tormentis denique sint addictę sempiternis? an contrà vi-

deantur damnatę quidem, atque à Patriâ Regni cęlestis extorres, immunes tamen, vt proprii sceleris, ita pœnę, siue iure, siue gratiâ, quomodolibet, vbilibet? Hoc est, inquam, totius controuersię caput, hic cardo causę. Non enim disputo pro loco, sed pro statu. Neque rursus an alterum altero relicto dici possit, sed an hoc, quod de pœnarum immunitate dico, sit, vt tu contendis, hæreticum?

IV. Id autem, vt euincas, debes ostendere certâ ac definitâ totius Ecclesiæ constitutione, hanc & olim fuisse, & esse nunc quoque conclamatam hæresim. Dico totius Ecclesię: Nam etsi mihi Patrem aliquem singulariter opponas, qui contradicat, si cęteri consentiant, & Ecclesia stet pro me, vel contra me non stet: ego securus imperterritúsque clamabo cum Iureperitis, *vnus testis nullus testis.* Ego cum Vincentio Lerinensi dicam, non quod vnus, sed quod vniuersi vel plurimi Patres, id fide sanctum. Ego denique cum Euangelio vociferabor: non possum haberi sicut Ethnicus & Publicanus, quamdiu Matrem hoc est Ecclesiam audiero Oportet igitur opinio-

Quid sit hæresis.

nem illam quę notatur hęresis, esse vel vnanimi Patrum consensu, vel totius Ecclesię decreto prohibitam, ídque non in genere tantùm de aliquo tormento paruulorum seu pœnâ, cùm hęc explicari facilè possint de tristitiâ, quam exilio suo sustinent, aut de ipsâ etiam exulatione, quę graue per se supplicium est; sed in particulari de supplicio Gehennę siue de flammâ. Neque quoquomodo prohibitam, sed sub anathematis pœnâ, conceptísque ritè verbis in hunc ferè modum. Si quis dixerit infantes sine baptismo mortuos, ignis æterni supplicio non puniri, sit anathema. Hic est enim Ecclesiastici fori tenor, hęc censurę Canonicę forma, quam oportet pręterea firmatam à Pontificibus vsúque receptam esse, sic vt nemo aliter in Ecclesiâ postmodùm senserit, quin pro hæretico sit habitus.

Primum argumentum à silentio Patrum.

IV. Agedum, ambo nunc stemus ad huius inquisitionis œcumenicæ tribunal, ego, quando ita tibi visum est in subsellio tanquam reus; tu quasi quæstor aut actor, in medio quæsitum seu problema sit hæresis ista quam dicis. Quandoquidem est crimen & crimen capitale,

le, producendi tibi sunt contra me testes, lege agendum, iuxta formas iudicandum. Nam *qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ, æquum licèt statuerit, haud æquus fuit.* Et iterum. *Si iudicas, cognosce, si regnas, iube.* Videamus ergo, si criminis est conuictio tanta, quantum est ipsum crimen. Lego Patres, lego Concilia, lego decreta; ibi video circa peccatum paruulorum omnia, omnésque constare. *Omnes enim in Adam peccauerunt.* Item circa baptismi necessitatem. *Omnes enim egent gloriâ Dei.* Item circa Regni cælestis exclusionem. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cælorum.* Hæc clara, hæc contra Pelagianos exertè dilucidéque contorta. At de supplicio flammísque paruulorum altum vbique silentium est. Nemo planè, nemo penitùs ita puniendos aut credidit aut tradidit; nisi forte semel aut bis Augustinus, & qui eum indiscriminatim sequitur iuratus in eius verba Fulgentius; & adhuc ille ancepsanimi, nec satis sibi constans, vt mox dicam. Scis autem ad verum legitimúmque iudicium, requiri in actione præcipuè criminosâ, testium Actorísque

conſtantiam, ac eos propterea recitari, recoli, repræſentari, nec ſemel ſiſti.

Cùm igitur hæc omnia deſint, cur ætati huic miſeræ non illud inclamem? *Nemo te condemnauit, nec ego te condemno.*

Nam ſi abſoluitur adultera mater defectu damnãtis, quantò magis innoxia pro-[illegible] eodem defectu? Non audis Chriſtum apud Mathæũ clamantem? *Si ſciretis quid eſt: miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes.* Quid ſi Patres non ſilent tantùm, ſed etiam candido lapillo abſoluunt? quid ſi non vno ſolùm, non pluribus, ſed omnibus omnium ſuffragiis? Erítne deinde vobis excommunicandi locus? an etiamnum appellabis hæreſim, communem omnium fidem?

Secundum ab authoritate.

VI. Ergo rem cape, vti ſe habet. Ego tibi teſtes omni acceptione maiores, ego textus, ego numeros, & authorum etiam ipſiſſima verba repono; tum te tibi relinquo, vt ſis ipſe tibi iudex in causâ tuâ. Talis eſt enim veritas, tantúmque robur eius, vt non reformidet ſibi iudices etiam inimicos.

Patres Græci.

Iuſtinus Martyr vt ætate, ſic ordine primus, problemate 56. ad Orthodo-

xos, quęrit an paruuli resurrecturi sint, & quo denique statu. En problema de quo disputamus, nimirum de statu paruulorum. Quid autem ille respondet? *Eos, siquidem baptismo initiati fuerint, vitam æternam consecuturos; sin autem excesserint illoti; eâdem beatâ vitâ carituros. Hoc est*, inquit, inter vtrosque discrimen, *quòd illi bona, quæ per baptismum tribuuntur, obtinent, isti verò minimè.* Hic est status: hæc eorum pœna. Proscribuntur, exulant à cælo; priuatione bonorum puniuntur. Hoc tantùm. Similiter Athanasius quæstione 114. idem argumentum accuratè pertractans, ita definit, *infidelium fideliúmq; ἀβάπτιστα neque regnum possidere, neque rursus affici supplicio Gehennæ*. Quid clariùs? Gregorius autē Nazian. non minùs integritate doctrinę, quàm corpore virgo, quem propterea Theologum appellant Oratione in S. Lauacrum, *Alij*, inquit, *non baptisantur, quòd morte præuenti sint vt Infantes. Hi postremi nec cælesti gratiâ, nec suppliciis à iusto iudice afficiuntur.* Eadem habet eius Interpres Nicetas grauissimus author, eadem Nyssenus Basilii frater, alterum Græciæ lumen, cuius hæc sunt verba. *Trifariam,*

inquit, *vt mihi quidem videtur, res hominum, in eâ quæ expectatur, vitâ diuiduntur. Primus ordo eorum est, qui laudabiles sunt & Iusti. Secundus eorum, qui neque honorantur, neque puniuntur: Tertius eorum, qui pro peccatis dant pœnas.* Nihil, vt vides, ordinatius potuit esse. Nam vt optimè Bonauentura, in cælo misericordia regnat, in inferno Iustitia, in medio regnum est ex vtrâque permixtum. Ita Patres Græci.

Patres Latini. VII. Neque Latini fauent minùs. Cyprianus epistolâ 8. l. 3. ad Fidum; rogatus an in baptismo paruulorum expectandus esset octauus à natali dies, vt in Circumcisione, negat id fieri oportere; quòd nihil immundum Deo, nulla sit ætas non idonea Christo, ad cælestis gratiæ consecutionem. Denique nihil non mouet, quò baptismi necessitas astruatur; de flammis nihilominus tacet, quas vt in hoc argumento præcipuas, vir omnium iudicio eloquentissimus minimè præteriret; siquidem magnitudine mali crescit necessitas remedii. At Ambrosius l. 2 de Abraham, loquens de paruulis: *Habeant*, inquit, *illam operum pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.* Ecce duo dicit; alterum,

quòd à pœnis ſint immunes, alterum, quòd regni honore priuentur. Idem Ambroſius ſi tamen idem, certè veterrimus Author in epiſtolam ad Romanos c. 5. docet neminem poſſe puniri in gehennâ morte ſecundâ, niſi propriis actibus acquirat. Hieronymus l. 3 contra Pelagianos Critobulo gehennam hanc paruulorum objicienti, ac exprobranti, ſic reſpondet, vt quanquam cæteras pœnas, quas etiam objicit, vltrò fateatur, de hac nunquam ipſe concedat.

VIII. Venio ad Auguſtinum, cauſam, vt ita dicam, cauſæ, & totius huius diſputationis argumentum. Ipſe enim primum in hac quæſtione problema eſt non tantùm nobis, ſed & ſibi. *Sed cùm ad pœnas* (inquit) *ventum eſt paruulorum, magnis, mihi crede, coarctor anguſtijs, nec quid reſpondeam, prorſus inuenio.* Ecce vides, loquitur de pœnis paruulorum. Et quid ait? Coarctor, inquit, hæret mens, vt in ſalebris ratis, non inuenio quid dicam. Et certè, nonnunquam eos filios Gehennæ appellat, ad ſiniſtrámque ponit, hoc eſt vt ipſemet explicat, ad ignem æternum. *Nullus eſt*, inquit, *relictus medius locus, vbi ponere queas Infantes* Nonnun-

Tertium ab authoritate Auguſtini.

Ep. ad Hyeron.

quam è contrario mediam sententiam asserit inter præmium atque supplicium: sic enim habet l. 3. de libero arbitrio c.23. *Neque enim metuendum est ne vita potuerit esse quædam media inter recte factum atque peccatum, & sententia Iudicis media esse non posit inter præmium atque supplicium.* Sentísne medium locum simul ab eodem asseri & negari? Quid quòd vocat pœnam, si qua est, leuissimam, mitissimam, tolerabilem ac talem denique, vt non audeat dicere, quòd eis vt nullibi essent, quam vt ibi essent, potiùs expediret; ídque sæpissimè repetit. Quęso te, rem, vti digna est, expende. Vis tu miseros secundum Augustinum non tantùm amissi summi boni dolore, sed etiam igne torqueri. Et quo tandem igne? Eo nempe qui secundum eundem, *multo grauior est quàm quicquid potest homo pati in hac vitâ.* Sic enim habet explicans illud Pauli, *Saluus erit sic tamen quasi per ignem.* Iam si tanta est eius pœna, si non æterna modò, sed etiam iugis ac nunquam intermittenda, quis eam leuissimam, quis mitissimam, quis tolerabilem ac talem demum putet, vt expediat sic esse, quàm omnino non esse? quid? erunt æternæ

caligine noctis obruti, sub potestate Diaboli, filij Gehennę, noctes diésque bis in idipsum damni sensúsque pœnâ cruciati tali ac tantâ ex vtroque capite? erit spes omnis abscissa; postremo vsque ad supremum desolabuntur, & hoc tolerabile vocas, ac tale, vt expediat sic esse? *Quis* (inquit idem Augustinus) *nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum Gehennæ non patiatur incendium.* Quid enim peius summo & æterno malo?

Aut ergo sibi contradicit Augustinus, aut aliter explicandus quàm tu. *Dicendum* (inquit Bonauentura) *quòd in verbis illis non intendit dicere, quòd paruuli sensibiliter crucientur, sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, & quantum ad vilitatem loci, & hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi.* Sic ille summus Doctor Augustinum cum Augustino conciliat. Negat igitur infantibus medium in terris aut in cælo locum, non tamen negat mediam vitam seu sententiam inter præmium atque supplicium.

In 2. dist. 33. a. 5. q. 1.

Quartum ab authoritate theologorum.

IX Itaque tota, vt concludam, antiquitas nostra est, nemine excepto. Nam

qui sequuntur Augustinum, eâdem mente ac ratione sunt locuti. Cæteri verò, quos habent scholæ Magistros, in nostram omnes, omnes sententiam pedibus iere. Sic Innocentij III. capitalis ac Canonica sententia est, *originalis peccati pœnam esse carentiam visionis diuinæ, actualis autem gehennam, seu perpetuum cruciatum.* Sic Guillelmi quoque. *Medium*, inquit, *inter gehennam & purgatorium locum, perpetuam mansionem sunt habituri.* Sic & Petri Lombardi, quos *liberos omnino censet à supplicio ignis corporalis.* Sic & Thomæ, & Bonauenturæ, & Scoti, & Durandi, & vno verbo omnium Theologorum, quos consulere potes distinctione 33. in 2. *Omnes* (inquit Bellarminus) *communi consensu censuere non puniri pœnâ sensûs.*

In decretali cap. maiores.

C. 7. de virrutibus.

Dist. 33.

Conclusio.

I nunc, exere vires, Anania, si non ingenii, saltem linguæ, vociferare, dic hanc opinionem nouam, dic inauditam Patribus, dic hæreticam, dic vxoriam, & ab vxoriis viris profectam. Tales enim sunt quos hactenus appellaui.

Soluuntur obiectiones.

X. Attacta est, inquis, de cælo, execrandóque anathemate perculsa. Itáne? vbi? quando? à quo? & ex quo? profer, edissere. Respondes à Synodo Cartha-

ginensi. Quo decreto? eo quo pronuntiatum est anathema in eos *qui medium quendam locum inter pœnas & paradisum constituebant, quem in locum paruuli sine baptismo mortui transferrentur.* At inter Canones anathema tale nullum est. Est, inquis, apud Photium. Quid si homini fidem negem? quid si vni vniuersos opponam? quales porrò viros, quantósque omnes doctrinâ? si numerum spectes, sunt infiniti; si authoritatem, summi; si Fidem, Catholici. Quid si Synodo Synodum? Dico Africanæ Tridentinam?

Ecce sessione 5. cùm hac de re magna conquisitio fieret, discuterentur à Patribus originalis peccati tum causæ, tum effectûs; proponeretur ex vnâ parte Lutherus atque Caluinus qui cælum illis infantibus, ex aliâ Catharinus qui terram seu medium locum inter pœnas & paradisum constitueret, illi damnantur, iste dimittitur; quid dico autem? iste, vti doctissimus ab vniuersis effertur in astra, mitrâque Pontificiâ donatur, toto postulante rogantéque Concilio (sic enim habent Acta.) Iam, si est hæresis, vt tu iactas, execrando anathemate perculsa; vnde laus reo, præmium hæretico tantum ac

tale? Vnde in pari causâ sententia dispar? an tum erat acceptio personarum apud Spiritum Sanctum ? aut ipse sibi fortè contradicebat, vt quod in Africanâ multò antè damnauerat, in Tridentinâ postmodum absolueret?

Quid igitur, inquies, & quis hoc anathemate petitur? quis? Respondeo; Pelagius, qui non baptizatis, etiam extra regnum Dei beatitudinem sine vllâ damnatione destinabat. Quod dubio procul hæreticum est. Vnde Florentina Synodus in vnionis decreto statuit *illorum animas qui in actuali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Si enim omnes pariter vno eodémque igni punirentur, non essent dispares pœnæ : rursus, si non exilio plecterentur, non essent omnes damnatæ, quod est contra Apostolum, *omnes enim in Adam peccauerunt, omnes filij iræ.*

Quo loco sint.

XI. Verùm instabis, si mox ab obitu descendunt in infernum omnes, ergo hæreticè sentiunt, qui post finem mundi, terram eis tanquam nouam ab hoc orbe coloniam parant. Respondeo certum id esse tantùm atque à Synodo definitum,

quòd omnes animæ peccatrices ſtatim à morte deſcendant in infernum. Vtrum autem poſt generalem corporum reſurrectionem ſint aliò transferendæ, nec conſtat, nec definitum eſt. Imò ſunt qui & hoc de damnatis putent, quia dictum eſt de hoc mundo ſub figurâ Babylonis; *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbiâ Chaldæorum ſicut Dominus ſubuertit Sodomam & Gomorrham non habitabitur vltra in ſempiternum..... Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis.* Quod explicant Patres de variis damnatorum pœnis, ſub harum animantium congruentibus peccato figuris. Porrò de Infantibus, Iſai. 13.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus;

alii retinent ſub Orco, triſtes & mœſtificos, vtpote vaſa iræ, vaſa gehennæ. Mouentur iſti tum authoritate ſic diſputantis Auguſtini, tum etiam ratione. Quòd vniuſcuiuſque locum oporteat aptari ſecundùm ſtatum. *Probabiles vtrinque rationes.*

Cùm ſint ergo filii iræ, debent eſſe

ciues quoque gehennæ. Alii contrà mitiores educunt è lacu, in quo non est aqua, terrâque cælóque donant in hoc orbe, & nouâ, & nouo. Sic poscere misericordiam Dei, quia dictum est; *Sentite de Domino in bonitate.* Sic & gratiam Redemptoris, quia dictum est, *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines.* Sic poscere & ipsam iustitiam. Quia vt optimè Nazianzenus, *licèt baptismo consignati non sint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi sint potiùs quàm fecerint. Neque enim*, inquit, *quisquis est honore indignus, statim pœnam promeretur.* Quâ etiam ratione vsus est Athanasius. ἁμαρτίαν οὐκ ἔπραξαν. Sic denique rerum exigere naturam; vt sint in mundo tres ordines, cælestium, terrestrium, & infernorum; vt illud etiam Dauidicum canatur. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Sic explicat Catharinus. Est multorum opinio terram ab exitu mundi, floribus iterum pomísque vestiendam; ita credit Anselmus. Alii pellucidam instar purissimi vitri futuram putant; quippe tum impermixtam ac naturæ redditam suę. Vt-

cunque tandem, cui quæso globus ille viui? Quò noua terra nouúmque cęlum, si careat habitatore? Deus, inquiunt, & natura nihil facit frustra. Præterea tot infantium millibus, vbi in inferno locus inter reprobos? nisi velis ibi corpora mutuâ penetratione peruadi, quod nouum erit supplicii genus immerentibus irrogatum. Nam eorum excescere numerum ad vsque *mille milliones* putat cum Lessio Cornelius. Quid quòd infœlices animas, si tenebris æternùm obruendæ sunt, pœnâ non tantùm damni, sed etiam sensus torqueri necesse est, contra Patrum vt vidimus, vnanimem communémque sententiam? Quid enim commeruere, vt ita pædore sitúque miseri tabescant, & in tanto numero, & supplicio tam immani? vbi porrò misericordia Dei toties & tamdiu promissa super omnia opera eius? Sed vbi iustitia? Siquidem, vt ait Bonauentura, de hoc agens, *iniustum est plus exigere in pœnâ, quàm commissum est in culpâ.* Si ergo paruulus nullo actu suo diuinum contempsit imperium, quare torquetur? cur inquam in tormentis, qui in deliciis non fuit? *Tantum,* inquit, *date illi tormentum, quan-*

tum glorificauit se in delicijs?

Obiectio de tristitiâ.

XII. At sunt innocentes imagines Dei: Amant ergo regnum Dei? Si amant, dolent. Vbi enim est amor, ibi & dolor; nemo enim non amissum dolet, quod ambit & amat. Respondent qui hanc sententiam tuentur, vt pedi contra oculum non est rixa, quòd oculus non sit, neque myricæ, quòd non sit cedrus aut terebinthus, neque opilioni, quòd in solio non sedeat, neque Angelorum nouissimo, quòd nouissimus sit, sed vnusquisque suâ sorte contentus acquiescit Deo; similiter haud ægrè laturos quòd in terram depressi sint, cùm potuissent in infernum. Gratia est medium tenuisse.

Hæ sunt opinantium probabiles vtrinque rationes, sed non est nostrum inter eos tantas componere lites. Satis supérque sit mihi pro tempore illos ab igne, me à calumniæ vestræ fumo vindicasse.

Peroratio.

Vt autem aliquis huius opusculi fructus existat, author sum vt ante oculos habeantur illa quasi tria regna Dei, primum in cælo, vbi Beati sequuntur Agnum quocunque ierit; secundum in inferno, vbi miseri perennes inter flam-

mas horribili cruciatu volutantur. Tertium in limbo, vel si malis, in terrâ, (nam vt ingenuè fatear, huic ego faueo sententiæ, quæ mihi fauet;) vbi paruuli non iam paruuli, sed animo corporéque grandes, imò & incorrupti, *surgent enim incorrupti*, non somno, non epulis vacant amplius, sicuti nec fame nec siti torquentur, *sed diuinâ virtute sustentati* (cito Bonauenturę verba) *continuantur in vitâ, vt non indigeant cibo neque potu, nec tamen habent illā firmitatem & soliditatē, quam habebūt corpora gloriosa.* Addit Catharinus consolandos ab Angelis Beatísque parentibus subinde visitaturis adhuc naturæ vinculis charos, quanquam à gratiâ cæli sine suâ seu propria culpâ deiectos. Erit ergo tum domus Dei tanquam arca Noëmi tres in partes ordine diuisa.

Alta tenent volucres, homines media, ima dracones;
Hi cælo, hi flammis; inter vtrosque puer.

Cæterùm tibi mihíque, Vir Inclyte, trium datur optio. Ac in limbo quidem, quoniam adoleuimus ambo, neutri, inquam, medio licet esse. Æternitas eligenda nobis, alterutra cæli, vel inferni,

nam terra auferetur nobis, nósque terræ, quid ergo tibi videtur? vtra duarum? ô mundi vices! eheu! cui reseruamur? sed hoc incongruè quæritur. Muto dictum. Cui laboramus? cælóne? nam nisi cælo, quid me téque fiet? ô nos miseros, si ista non cogitamus! ô miseriores multò magis si cogitantes non concludimus! est enim, est peccatoris vita velut argumentum sine clausulâ. Multa proponit, multa digerit, nihil concludit, nisi cùm est in medio gehennæ, & cùm clamat; *ERGO errauimus.* Hic est vltimus inauspicatissimæ Philosophiæ syllogismus. Dii meliora.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

De Phœnice,

Symbolo resurrectionis nostræ.

Ad Aldericum Rhetorem.

I. PHOENICEM, Alderice, mitto tibi, fabulam an historiam? adhuc sub iudice lis est. Historiam multi, multi credidere fabulam, ego neutrum. Ac tu sententiam ipse meam admirari soles, vt nouam, vt insolentem, denique monstrum putas, aut etiam facis Rhetorum more, quo creas non elephantum ex muscâ, sed ex elephanto muscam. *Exordium.*

Equidem nouam esse non diffiteor, at nego tamen insolentem; nego monstro similem. Porrò, si vacat, imò quia vacat vtrique, paucis, id quale sit, expediam.

II. Duo sunt in hac causâ probanda tibi de Phœnice: alterum, quòd esse non *Distributio.*

possit, qualem tui cecinere Poëtæ; alterum, quòd aliquid sit tamen, & non omnino nihil. Ex quo concludam in bonâ formâ nec historiam planè, nec esse planè fabulam, sed medium quiddam inter vtrumque. Quid illud autem? auémne? an de genere bombycum mirum quoddam ac singulare insecti genus? id enimuerò postremo loco prouidebitur; eo consilio vt ad immortalitatis spem hoc resurrectionis nostræ præclarissimo symbolo, vt appellat Clemens, animus tuus meúsque paulatim erectus, in alterum exinde Phœnicem, nempe Christum, mentem cogitationémque toto Fidei robore defigat.

Interim, ne quid aliud de Phœnice præter Phœnicem cogites, néue, vt est apud Platonem, pro columbâ palumbem, proloqui nos oportet, vt in fabulâ, Phœnicij poëmatis argumentum, referréque ceu publicas in tabulas, authorum siue testimonia, siue commenta.

Quid sit Phœnix. L. 10. c. 12.

III. Ergo Phœnicem ita Plinius olim expressit, *auem Aquilæ magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureum, cæruleis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem capútque plumeo apice cohonestanti-*

bus. Ad hæc ei roſtrum Scaliger appingit *trifiſtulare*, vel vt Cardanus, *vndequaque perforatum*, cygneæ organum vocis, & paſtoritiæ fiſtulæ primæuum exemplar. Hic habitus, hæc alitis æterni forma; *de ſingularitate famoſi, de poſteritate monſtruoſi.* Neque enim coitu concipitur, partúve generatur; ſed vbi *quingentorum annorum æuo perpetua durauit, ſuper exaggeratam odoribus ſtruem ſibi ipſa incubat, ſoluitúrque. Deinde putreſcentium membrorum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur.* Ita Pomponius Mela. Quo id autem eueniat modo, docet Plinius. Ait enim *caſiâ thuriſque ſurculis conſtruere nidum & ſuper emori. Ex oſsibus deinde & medullis eius enaſci ceu vermiculum, inde fieri pullum.* Claudianus autem vult fieri beneficio flammæ *plumâ rudem*, vt ait, *veſtientis fauillam*, vnde

Geminæ confinia vitæ
Exiguo medius diſcrimine ſeparat ignis.

Quin & Pierius ex Ægyptiis ſacerdotibus refert id fieri cruore Phœnicis ſeipſum roſtro vellicantis; *ex quo primùm ceu vermiculus naſcitur, mox pullus fit alter formâ priori ſimilis, qui quamprimum pennas indeptus eſt, confert ſe vnà cum Patre*

Exercit. 223. L. de ſubtilit. 10. Tertull. L. 3. c. 9. L. 20. c. 1.

Heliopolim, quæ in Ægypto est, vbi primum Phœnicem ortum ait Athenæus, quo simul ac venerit, oriente mox sole moritur, nouo pullo in sua regna transmigrante. Vnde minimè mirum est duos aliquando Phœnices esse visos. Sic ille. Quid deinde?

Non epulis saturare famem, non fontibus vllis
Assuetus prohibere sitim, sed purior illum
Solis feruor alit, ventosáque pabula libat
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.

C. 11. de Phœnice. L. 15. metam. Nimirum *absque cibo & potu vento pascitur*, vt vult Epiphanius, vel vt Ouidius,

Nec fruge nec herbis,
Sed thuris lacrymis, & succo viuit amomi.

Adhuc audi maiora; nam & Sacerdotem Phœbi Lactantius, si tamen Lactantius, & antistitem nemorum ac denique horarum noctis diéique præsidem tradit: sic enim habet:

Atque eadem celeres etiam discriminat horas,
Igniferúmque caput ter venerata silet.
Antistes nemorum & luci veneranda Sacerdos,
Et sola arcanis conscia, Phœbe, tuis.

IV. En fabulam. Quid enim aliud, oro te, in tot non dico naturæ miraculis, sed monſtris? Vbi mors eſt natiuitas, ſemen cinis, partus ſine coniuge, pater ſine matre; vbi idem mas & fœmina, parens & proles, æternus & mortalis. Nam vt cætera taceam, ſi non eſt de genere inſectorum, quâ ratione vicit aquas dilu-uii? in arcáne an ſine arcâ? intus an foris? non in arcâ; nam ibi bina & bina videbantur, hic erat vnicus. Non foris, nam aquis, omnium cacumina montium ad cubitos quindecim ſuperantibus, non erat vbi pes eius requieſceret. Vbi gentium igitur ille tum degebat ales tanto naufragio ſuperſtes? mundo poſthumus, & ſæculi fortunâ fatóque maior? Quid? in paradiſo fortaſſe ſicut Elias aut Enoch nouus æternitatis candidatus? Sed non eſt æmulus Antichriſti, neque ad illa certamina reſeruatus. De diluuio dixi, nunc de buſto dicamus. Non enim tantùm vt Noëmus victor vndarum, ſed etiam vt Abrahamus creditur eſſe domitor ignis atque flammarum. Id autem nouo monſtro fit, vt in funere cunabula quærat, in morte natalitia, *ſine natali*, vt Tertullianus habet. Quæro ergo cùm à priuatione

Prima pars. Eſſe fabulam.

nemini regressus sit ad habitum, vnde Phœnici vita post mortem pérque mortem? & cæteris cùm sit venus ab aquâ, vt omnes canunt, vnde huic à flammâ contra totius physicæ genitalia principia? Quid enim, quæso te, tam alienum à generatione quàm cinis? quid tam inimicum Veneri quàm ignis?

Lactantius. *Mors*, inquis, *illi Venus est, sola est in morte voluptas.*

Sed cùm hæc dicis, fabulam fabulæ, & vt in Gigantomachiâ montem monti coagmentas, immemor rerum atque naturæ. Est enim mors dissolutio compositi, non instauratio vitæ, est vltima linea rerum, non prima.

Deinde quî fit id tandem? cælibatu an coniugio? vis virginem partum? vis sine matre patrem? vis sine genealogiâ tanquam alterum Melchisedecum? vis denique cruore an flammâ & cinere? nam hæc, vt audisti, controuertuntur, & quocunque demùm modo fiat, supra naturam est, & supra fidem. Siquidem & cruor & cinis ad fœcunditatem iners vterque, mortem aut sequitur aut præit, causa vel effectus.

Sed esto; demus aliquid hominum

credulitati. Sit auis illa diluuio superior & busto, sit in natali Deo proxima, eiúsque Christo, nam vt mox dicam, & ipsa futuræ vitæ imago est. Euolet ergo media inter incendia victrix æui, nobilémque triumphum agat de omnium tyranno, dico de morte: quæro ego tanti miraculi locum, quæro tempus. De loco nemo conuenit. Nam Assyrii suum repetunt, & Arabes, & Indi, & Ægyptii suum. Quid plura? locum ex quo euolat in Ægyptum, ignorari tradit Artemidorus. De tempore quoque ingens ac infinita quæstio est. Pomponius quingentos ascribit annos. Solinus quingentos quadraginta. Plinius sexcentos sexaginta. Claudianus mille, totidem habet Martialis, at Zetzes ad septies vsque mille ex Ægyptio Chæremone producit.

L. de insomniis. c. 49.

Iam verò quid de formâ dicam rostróque trifistulari vel *mille pertuso*? Quid de Cygnæâ voce officióque Sacerdotali suas in horas canonicè distributo? quid de vigiliis galliciniόque diem salutantis? quid de cibo vento? quid de cæteris arcanis non tam Phoebi quàm fabulæ? *Phœnicem*, inquit Cardanus, *prædicarunt multi auem fabulæ quàm veritati propio-*

L. 10. de subtilit.

Plin.l.10. c. 2. Tacit. l. 6.annal.

rem. Et Plinius, *Fert Arabia Phœnicem haud scio an fabulosè?* Et Tacitus *incerta testatur & fabulosis aucta, quæ de Phœnice narrantur.*

Est igitur vt vides, hoc habitu, hac genesi Phœnix, antiquum, famosum, insigne mendacium. Hoc erat primum è duobus quæ proposueram.

Secunda pars, esse historiam.

Iam ad secundum veniamus, vt tibi probem in hac fabulâ nonnihil inesse veri, sciásque Phœnicem non esse parabolam tantùm, sed & historiam, ac denique mecum eruas tanquam in aurifodinâ mixtum auro orichalchum.

Et verò vides ab Authoribus non dici planè fabulam, sed fabulæ quàm veritati propiorem. Item fabulosis auctam, & haud scio an fabulosè, hoc est dubitanter scrupuloséque non probatam. Nam in vniuersum ita comparatæ sunt omnes fabulæ, vt veritati quasi fundamento multa superstruant. Vnde non negant absolutè visum Phœnicem, sed sibi visum, vt Herodotus, imò multi testantur etiam visum, notántque tempus. Paulo Fabio & L. Vitellio Coss. anno ab vrbe conditâ 787. iterúmque, Q. Plautio & Sex. Papinio Coss. *Phœnicem*, inquit Sca-

Exercit. 223.

liger, *non esse penitus fabulosum legimus in commentariis nauigationum.* Tum hæc subiungit, *Cæterùm huius historiæ fidem eleuat additum mendacium.*

Enimuerò si nihil in eâ causæ, nihil argumento verisimile, quid est quæso tandem, quod in insulsum ac inane delirium vniuersi quasi ex condicto consensere? Nam vt egregiè iunior Plinius, *Sicuti nemo omnes fefellit, ita neminem omnes fefellerunt.* Ergo celebratissimæ ac omnium ore tamdiu peruagatæ de Phœnice famæ datam ab ipsâ rei veritate differendi materiam ambigi nequaquam potest. Accedit, quòd ad corroborandam resurrectionis nostræ fidem, doctissimi quique Patres hoc exemplo tanquam certissimo sunt vsi. Sic enim Ambrosius oratione de fide resurrectionis, *historiam Phœnicis & historicorum crebrâ relatione, & Scripturarum authoritate cognitam ac probatam docet.* Sic Epiphanius in Ancorato; sic Clemens hanc à Deo nobis imaginem tantæ spei datam μεγαλεῖον τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ. Sic Tertullianus. *Vti credas*, inquit, *de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Quid enim expressius, atque signatius in hanc causam? aut*

Lib. 5. Constit.

De resur. carn.

cui alii rei tale documentum? Et rursus, *Accipe*, ait, *plenißimum atque firmißimum huius specimen, illum dico alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum.* Ecce specimen vocat plenissimum & firmissimum. Plenissimum, nempe exempli similitudine; firmissimum autem rei veritate. Eodem exemplo Nazianzenus aduersùs Arrianos mysterium Trinitatis explicat, eodem & Cyprianus Christi ex Virgine sine virili semine natiuitatem. Quæ quidem argumenta Patrum inualida prorsus ac nulla sine dubio forent, nisi primitus historiæ veritate niterentur.

Sit ergo fixum, sit authoritate & ratione conclusum, fabulam de Phœnice, nec ita audiendam vt omnia placeant, nec ita refutandam vt nihil omnino probetur. Nam fortasse non tam peccatur, vt aiunt, in substantiâ narrationis quàm in modo narrandi. Quod nunc à nobis accurato pro viribus examine discutiendum est, vt falsum à vero tanquam paleam à frumento, tanquam lolium à tritico flagellantium more dispungamus.

Phœnix insecti genus.

VI. Quâ in re duo spectanda nobis: Vnũ est, vt ne quid supra fidem naturæ-

ve ordinem afferatur; alterum eſt, vt ea nihilominus afferantur, quæ communi hominum de naturâ Phœnicis exiſtimationi quàm accommodatiſſimè reſpondeant. Nam alii pro Phœnice neſcio quem alitem *Semendam* nomine ſubſtituunt vt Scaliger & Cardanus: alii retinent illum ſanè, ſed adhuc plenum fabulâ & mendacio. Quare neutri collimant in ſcopum, non hi fabulantes, vt qui falſum Phœnicem habeant, non illi immutantes, vt qui ne habeant quidem. His ita conſtitutis, Vbi ſupra.

Audacter ingenuéque pronuntio nihil aliud mihi videri Phœnicem, quàm immortale quoddam ex Indiâ, vel ſi malis ex Arabiâ fœlice, inſecti genus, & ſi ſpeciem in illo genere quæras, à bombyce ſeu papylione non longè recedere. Papilionem, inquam, præclarum illum quidem, ſingularitate eximium, magnitudine prçſtabilem, formâ ac pennarum varietate, plumeóque totius corporis apparatu cunctis auibus prçferendum, papilionem tamen. Ad hanc tu vocem, Alderice, ſuccenſes, vociferaris, exclamas iniuriam fieri longè atrociſſimam, obtrectari famç tantç alitis, quam à ſupre-

mo naturæ gradu ad abiectissimorũ insectorum ac vermium perperam ac contra ius omne de re, degeneri transformatione deturbemus. Neminem hactenus ita sensisse, neminem tam malè de Phœnice locutum. Quis enim hominum ab omni retro memoriâ putauit eum esse vermem aut ærucam? quis? hoc Alderice, rogas? Ego respondeo tibi, omnes ad vnum. Omnes, inquam, hoc canunt, omnes scribunt, vniuersi prædicant, Historici, Poëtæ, Patres: & tu, quis ex omnibus ita senserit, adhuc rogas? Verùm age mitte vociferationes istas, quæ nihil in rem conducunt. Ad lydium lapidem an[illegible]bo stemus.

Quæro ex te vicissim, si sit eade[illegible] Phœnici cum Papilione natura, idem [illegible]riendi moriendíque modus, vitæ par r[illegible]tio, si nascitur, vt Papilio, ex putri, si si[illegible] coïtu, si fit primùm vérmis, deinde trans formatur in alitem, si pascitur vt ille ver[illegible]to, seu potius aromatico florum odore inter amœna luci; negabis idem ei nomen imponi debere, cui natura sit suppar? Quanquam in multis accidentibus aliunde melior & maior, tum æui diuturnitate, tum vitæ perfectione. At-

qui non ignoras voces ex Platone non esse nisi rerum vehicula, hoc est res aliud dici non posse, quàm quod sunt. Sed ego de voce non contendo tecum, voca vt voles, dummodo veritâti in hac disputatione consentias. Vtrum enim auis dicenda sit, an Papilio, quæstio est de nomine. Est tamen insecti genus, cum ex putri ceu musca, ceu Papilio nascatur, fiátque primùm vermis, quod inficiari non potes. Id enim authores passim tradidere. Ita Pomponius, ita Clemens, ita Cyrillus, cæterique. Cuius rei ratio est manifesta. Nam nasci eum oportet aut ex coïtu, aut ex putri, cùm alia non sit inter animalia via nascendi sine miraculo: atqui fatentur omnes non ex coïtu nasci. *Phœnix* (inquit Ambrosius) In Psal. *coïtûs corporeos ignorat, libidinis nescit ille-* 118. *cebras.* Et S. Cyprianus. *Quid mirum si* In Sym- *virgo conceperit, cùm orientis auem, quam* bol. *Phœnicem vocant, in tantum sine coniuge nasci vel renasci constat, vt semper & vna sit, & semper sibi ipsa nascendo vel renascendo succedat.* Ex quo sequitur inuictissimâ ratione nasci ceu vermem, imò quia vermem, ex putri. Præterea singularem atque vnicum prædicant omnes. Clau-

dianus vocat vnicum; Tertullianus de singularitate famosum; Plinius vnum in toto orbe. Non ergo generatione parturitur. Nam coniugium non potest esse nisi inter duos.

Quid de Phœnice credendum.

VII. At ei Patrem (inquies) assignauere nonnulli. Nimirum hæc est insectorum fœcunditas, vt nonnunquam ex putri, nonnunquam ex Patre nascantur vtroque modo. Sic etiam fortasse Phœnix. Atque ita facilè coniicies, quâ ratione diluuio superstes extiterit. Nam si coitu tantùm nasceretur, confitendum esset omnino vel in arcâ cum cæteris animantibus inclusum, eúmque non vnum, sed geminum marem & fœminam, vel iamdudum mundo exulauisse. Nunc autem difficultas nulla est. Audi

Catech. 18.

Cyrillum. *Moritur sine dubio & putrescit, deinde ex putrefactâ carne mortua, vermis quidam generatur, & hic deinceps in auem efformatur.* Si quæras igitur, vnde post diluuium exortus sit? Respondeo ex antiqui Phœnicis ossibus ac cadauere superstite; neque enim tempore diluuii nasci poterat, absente sole, neque postea non nasci, iam rediuiuo. Quod enim de flammis bustóque Phœnicio narra-

tur, interpretor ego de geniali ſolis ardore, cuius beneficio putreſcentibus in aromatico (nam & hoc non parum iuuet) ſubinde membris, ipſa illa Phœnix, licèt vndique ſoluatur atque tabeſcat; tamen, quia paulò poſt vi ardoris vermis primùm, tum nouus ales exoritur, hinc credita eſt incubare ſibi, ſemetipſum concipere, atque ex ſeſe renaſci.

Quanquam quod dixi de ſolis ardore, non negem intelligi poſſe de flammis naturalibus, cùm fortaſſe non ſit impoſſibile de cineribus auroræ matutino rore perfuſis inſectum ſeu vermem enaſci.

Sed quid ego hæc autem quaſi comminiſci videor ingenio meo, cùm in aperto ſit authoritas Patrum. *Noli,* inquit Cyrillus, *diffidere: nam & apium genera, ſic etiam ex vermibus formari vides, & ex ouis humidiſsimis pennas & oſſa & venas auium vidiſti. Phœnix ſanè præfatus, excreſcens in auem, talis euolat in aërem, qualis & mortuus erat.* Sic etiam Æneas Platonicus. *Præterea & Phœnix auis, vbi fuerit mortua & reſoluta, viuere putatur. In quo ſuccurrit multitudo animantium, quæ ex corruptione cepere principium.* Sic & Lactantius in poëmate.

Catech. 18.

Hinc animal primùm sine membris fertur oriri
Sed fertur vermis lacteus esse color.
Creuit in immensum, subito cùm tempore cælo
Séque oui teretis colligit in speciem.
Inde reformatur, qualis fuit ante figura,
Et Phœnix ruptis pullulat exuuijs.

En vides, vt in bombyce, ouum, vermem, ac positis alitem inde pullulantem exuuiis. Vnde subdit.

Ac velut agrestes cum filo ad saxa tenentur,
Mutari pennæ Papilione solent.

Sic habes rem, exemplum, argumentum sumptum ab insectis, quod nullum esset, nisi Phoenix sit insectum quoque. Non enim consequentia valet ab insecto ad non insectum, sicut nec ab imperfecto ad perfectum.

Instabis adhuc. Cur ergo nonnisi vnus, si ex putri? Respondeo, quia licèt ex putri, non tamen ex omni putri, sed ex ipso tantùm putrefacto corpore Phoenicis, eóque aromatibus, vt ita dicam, condîto. Nam à Phœnice construi bustum non magis mirum est, quàm ab hirundine nidum; nisi malis ab Helio-

poleos

poleos Sacerdote parari, vt ex Ægyptiis refert Pierius. Quare etsi plures visi dicantur eodem tempore, haud tamen veros fuisse Phœnices, sed falsos, iidem testantur authores. Hinc optimè Tertullianus de Phœnice loquens. *Vbi iam nemo*, inquit, *iterum ipse, qui non iam, alius idem.* De resur. carn.

Ad extremum, nota vim argumenti Patrum pro resurrectione carnis inde deduci tantùm, quòd sicut è putri cinere Phœnix, ita nos quoque. Vnde Clemens ita concludit: *Si ergo, vt ipsi aiunt, in aue rationis experte resurrectio apparet, quid nostra calumniantur?* Et Tertullianus, *Qui semetipsum lubenter funerans renouat, natali fine decedens atque succedens, iterùm Phœnix.* Neque dicas incongruum videri tam præclaram auem ab his initiis inaugurari. Imò hoc etiam ad resurrectionis gloriam multùm facit, vt sit quasi ex verme homo ales, & vt Tertullianus, *Caro Angelificata.* Neque est nouum vermem quodammodo glorificari. Ludit enim natura in eius pennis versicoloribus, amátque purpurâ radiante conuestiri. Denique non est omittenda temporis ipsa breuitas, intra triduum fit Phœnix L. 5. Const.

ex Epiphanio, Alberto magno, Damiano. Ex quo ſanè firmiſſimum eruitur ad hanc rem argumentum. Nam præter inſecta nihil niſi longo tempore coaleſcit.

Concluſio. VIII. Habes igitur ex verme Phœnicem, vir probe, ex Phœnice teipſum.
Senec. *Scis enim quem dicam virum probum ? qui poſt quingentos annos naſcitur vt Phœnix.* Hoc erit tibi mihíque fabulæ totius *epiſodium.* Nam in hoc terræ puluere ambo nunc vermes ſumus, Phœnices cum Chriſto mox futuri. Ait enim : *Iuſtus vt Phœnix florebit.* Et iterum : *In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Ita quemadmodum ſculptum eſt ære Conſtantiniano, *fælix erit vtrique temporum reparatio.* Interea verò ſoli iuſtitiæ Sacerdotem eſſe te méque neceſſe eſt. Eidem cantu noſtro ſeptem horas diei noctiſque diſcriminandas. Eidem vigilias atque ieiunia ſtata dedicanda. Quid deinde ? thuris lacrymis, & ſucco viuendum amomi. Denique palmâ ſuper Paleſtinâ, hoc eſt in cruce flammis donandi ſumus. Inde ſpes, inde reſur-
Auguſt. rectio. Sic ſpera; ſic viue. Nam *vita vitæ mortalis ſpes eſt vitæ immortalis.* Vale.

DISSERTATIO QVARTA.

De Christo Phœnice, Sacramento abscondito à sæculis.

Ad eundem Aldericum.

I. NOVVM, Alderice, mitto Phœnicem inter flammas in palmâ, hoc est in cruce & morientem & rediuiuum, vermem è Phœnice, è verme iterum Phœnicem, mirum insecti genus. Hic est enim de quo dictum est. *Ego autem vermis & non homo*. Item, *Sedens in cathedrâ sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quid plura? nouum, Alderice, poëma est, nouum carmen, sed carmen Deo nostro. Meliùs dicam, sed carmen Deus noster. Ipse namque sibi carmen & poëma est, author & actor, & vt in Phœnice, pater & principium sui, sed & finis. Quippe qui

Allegoria Christi cum Phœnice.

Ps. 21.

L. 2. Reg. c. 23.

ſit idem primus & nouiſſimus, pariens in Matre vitam ſingularem, in Patre communem omnium. Crux illi nidus eſt, mors ouum, cinis ſemen, *reſurrectio primitiæ dormientium.*

Cicero. Denique conſilium imperatorium eſt, ſeu ſtratagema, *quo patriæ conſulit, vitæ non parcit.*

Ergo quoniam ambo Muſis initiati ſumus, vis eo more, quo Poëtæ ſolent, hîc exclamem? *Arma virúmque cano*? Vis dicam? *Arma Deúmque cano.* Vel vtrumque? *Arma virúmque Deúmque cano, qui primus ab aſtris, &c.* Deum, inquam, ſed Deum infantem, ſed Deum in cunis.

S. Zeno. *Amore enim imaginis ſuæ cogit ſe in infantem Deus*; quanto miraculo, mox intelliges. Sed audi primùm, quam tibi ſuper hac re quæſtionem propono moroſiſſimam.

Proponitur problema. II. Martyr Ignatius referente Hieronymo dixit idcirco Virginem Mariam deſponſatam *viro fuiſſe, vt partus eius celaretur diabolo.* En ænigma, en diſputationum ſeges ingens & perampla. Quæritur enim, vnde, vel quâ ratione celaretur ei, quem omnium, quæ iſthic fiunt, nihil omnino fugit? Scis enim quàm

acri sint illi spiritus acie quámque perspicaci, qui non aliunde δαίμονες appellantur, quàm à scientiâ, vt notat Augustinus; qui gratiam Angelorum, non naturam, nec ingenij volubiles motûs perdidere, vt probat Doctor Angelicus; qui simul vniuersa comprehendunt vnâ facillimâ cognitione, vt Theologi docent. Neque enim *per vias probationum*, aut à sensibus, vt nos, experientiam rerum arcessunt, sed eam hauriunt à semetipsis, cùm habeant à primo iam inde suę Creationis exordio species, quas vocant *insensatas* siue infusas, hoc est scientiam intuitiuam omnium rerum, & æternum, vt ita dicam, solem in meridie. Sunt illis itaque cuncta præsentia, sunt ad manum, sunt in oculis. *Totus orbis* (inquit. Tertul.) *illis vnus locus est.* Et Hieronymus. *Toto vagantur orbe, & celeritate nimiâ vbique præsentes sunt.* Apolog. c. 22. C. 2. adu. Vigilant.

Quæ cùm ita sint, quid fuit, oro te, causæ, quamobrem à sæculis hoc sacramentum absconderetur, aut à principibus huiusce mundi cuncta tum gerentibus atque perscrutantibus ignoraretur? Si dixeris cum S. Thomâ, dispensatum esse circa Virginem, quam adinstar ca-

ſtrorum circumfuſæ vndique vigiles è cælo excubiæ noctu diúque custodiebant, vnde in Cantico dicitur *terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*. Et iterum: *Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum*? Si hoc, inquam, dixeris, infinita ſunt, quæ moleſtiam creent inueſtiganti. Sit enim vt vis, incognita non tantùm viris, ſed & ſpiritibus; ſit eius virginitas hortus concluſus; ſit à caſtitate caſtrum, quò nemo peruadat; ſit orientalis illa porta nemini viſa, nemini recluſa. Sed quid de Ioſepho dices eius coniuge, ſollicito ſuper vxore prægnante, anxio, perplexo, iamiámque diuortia meditante? quid? an ille maritalis æſtus oculos inimici fefellit indefeſſos & ſemper inſomnes? Nam vnde Draco dicitur niſi à perſpicacitate? vnde leo, niſi quia non dormit? potuítne conſcius non eſſe procellæ, cuius author, vel certè fautor fuit? Eſt enim antiquus ille Carbonarius, *qui prunas ardere facit* vbique & ſemper; at in æmulatione præſertim vxoriâ.

Sed eſto: demus & hoc ſecundum tibi: fuerit vterque coniux immunis ab hoc fabro, ob futuræ reuerentiam prolis; quid tamen, quid de puerperii virgi-

nalis horâ statuemus? quid de loco, de tempore, cæterísque diuini natalitii solemnibus notis, oraculo toties & tanto antè præstitutis? an ille ingeniorum apex, & primum Angelicæ naturæ caput ignorabat Isaiæ vaticinia de præsepi, de asello & boue? aut Danielis de septuaginta hebdomadibus, sceptróque Iudæ desituro? aut Michææ de Bethlemicâ ciuitate, Balaami de noui sideris exortu? Dauidis de Magis ab oriente adoraturis? quid? nesciebat illam è Dauidicâ stirpe Virginem? aut fortasse non videbat in Bethlemico specu Matrem sine Lucinæ doloribus auxilióque lubenter & vltro connixam, eo planè quo prædixerat Isaias, modo? quid? non audiebat è propinquo canticum Angelorum, nec eorum tum ad Pastores, tum ad Reges hortatum aduertebat cæcus & surdus? non intererat consilio impiorum, dux ipse capútque facinoris, cùm de pueri vitâ Hierosolymis apud Herodem ageretur? cùm de loco nascentis inquireretur, aut de stellâ recente disputaretur? trepidantibus omnibus eius membris super Tyranni suóque metu?

Sed esto rursus: in tantis támque ma-

nifestis vndique demonstrationibus, non sit vllus argumento locus, credantúrque dęmones inscitiâ talpę, qui naturâ sunt Argi. Quid postremò respondebis ad authoritatem Euangelij? Ecce enim ibi dæmonia clamant; *Tu es Filius Dei. Quid nobis & tibi Iesu fili Dei, venisti ante tempus torquere nos. Scio te, qui sis, Sanctus Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Si sciebant, non erat ergo sacramentum absconditum à sæculis. Sed aliunde, si non erat, quomodo dicitur, quia erat? an mentitur qui nec fallere, nec falli potest? nonne dictum est, *Nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Cui dubiũ est enim, quin eam dæmon impediturus esset mortem, à quâ sibi supremum excidium impendere certò sciebat? nisi fortè laborabat imperii discordiâ, iam túmque præuaricabatur ipse sibi? nisi negligebat incautus & imprudens ea, quæ tot argumentis, tantóque molimine tergeminæ tentationis in eremo deinde rimatus est? nam vndenam illa quæso plena curarum atque artis enthymemata rogantis disputantísque Sophistæ, *Si tu*

es Filius Dei? Quò vergebat ratiocinationum pondus illud? quid tum artificis ſcelus ambiebat? quid explorabat illo dilemmate vtrinque librato, & toties? *Sic enim tentat vt exploret, ſic explorat vt tentet*, inquit Cyprianus. Denique Petrus exertè pronuntiat hanc Chriſti mortem à principibus ſæculi per ignorantiam eſſe procuratam. *Scio*, inquit, *quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.*

Ita vides implicitum ex vtraque parte nodum, ſiue neges abſconditum à ſæculis, ſiue fatearis; méque tibi non Phœnicem, ſed ex improuiſo miſiſſe ſphyngem.

III. Verùm enimuerò noli timere. Erit illa ſphynx ænigma quale Samſoſonis olim, ex *forti dulcedo*. Erumpet enim ex hoc nodo tanquam è nucleo ſapientia virtúſque Chriſti: mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando intelliges ſic abſconditum à ſapientibus, vt tamen reueletur paruulis. Niſi enim abſconderetur, non eſſet ex inimicis noſtris ſalus, & niſi reuelaretur, non eſſet ex eius morte fructus. Oportuit igitur ita latere, vt pateret, & rurſus ita patere vt lateret. Id autem, *Quòd ſit abſconditum, à ſapientibus.*

quantâ fiat optimi Redemptoris arte, quàm insigni stratagemate, recognosce tu mecum, & obstupesce, vir inclyte. Hęc est enim, vt compendio loquar, illa celebris Archimedæa machina, quâ totus à fundamentis orbis in sublime tollitur. Hoc illud opus grande quod dedit ei Pater, vt dissolueret opera Diaboli Hæc denique memoranda populis adinuentio Dei, quâ capiuntur fortes, euadunt infirmi. Scriptum est enim: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Quid multa? fit hîc prædo præda; dum occidit, occiditur; & capitur, dum capit.

Ludebam, inquit Bernardus, *ego foris in plateâ; & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius: exiit posito diademate, sacco vestitus.* Quare posito diademate? quare sacco? Respondeo & vt falleret, & vt ne falleret; vt falleret hostem, vt ne falleret Patrem. Nam quia duo requirebantur ad illum vincendum, duo quoque requirebantur ad hunc vinciendum, siue placandum. Vt vinceretur hostis, requirebatur homo & Deus, homo qui feriretur, Deus qui feriret. Item vt placaretur

Pater, requirebatur homo qui placare deberet, Deus qui placare poſſet. Sed Deus occulendus erat in homine, ne ſi pateret diuinitas, non occurreret hoſtis, & ita non vinceret humanitas, neque placaretur diuinitas.

Quid igitur? fecit ſibi ſaccum, in quem mitteret & hoſtem & Patrem, & ſic vicit Agnus Leonem, hoſtia Deum.

Malitiâ nocendi auidus dæmon (inquit S. Leo) *dum irruit, ruit; dum capit, captus eſt, dum perſequitur mortalem, incidit in Saluatorem.* Erat igitur hoc artificii genus ſimile laqueo venantium, perſonam vel diſſimulantium ſuam, vel ſimulantium alienam ſub boue & aratro. Quod egregiè Gregorius explicat exemplo piſcantis hamo. Serm. 9. in Paſſ. c. 3. L. 33. in Iob. c. 10.

Sit, inquit, Geneſis Chriſti, ceu promiſſa piſcatoris arundo, quæ tot habeat inflexa nodos, quot in coniugatoriâ ſerie Patriarchas, à quorum vltimo pendulus hæreat acutiſſimus ille verbi Patris hamus, inſtructus humanitate, ſuâ velut eſcâ. Iam animo finge portentoſum illum Leuiathan, tanquam aliquem in vndis cetum latè vaſtantem omnia. *Ecce in oculis eius quaſi hamo capiet eum.* Quo

tandem pacto, exprome. *Quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis. Ibi quippe erat humanitas, quæ ad se deuoratorem duceret, ibi diuinitas, quæ perforaret. Inde ergo interijt, vnde deuorauit.* Eodem vergit Augustinus appellans incarnationem muscipulam Dei. *Apta*, inquit, *apta muscipulam, per quam saluas omnem creaturam.* Eodem Origenes, qui duos in cruce tanquam in tropheo Redemptoris exhibet *Crucifixos*; nempe Deum & Diabolum, Deum in summo suspensum ad horam, Diabolum in imo pendentem in æternum, sed illum amore suspensum, istum furore.

Obiectio. IV. Verum objicis ante oculos pennatorum frustra iaci rete. Sed audi quid pro responso referat. *In oculis eius* (inquit) *quasi hamo capiet eum.* Quid est in oculis eius? *In oculis*, interprete Gregorio, *habere dicimus, quod coram nobis positum videmus. Antiquus verò hostis humani generis, Redemptorem ante se positum videt, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: Quid nobis & tibi Fili Dei, venisti ante tempus torquere nos. In oculis itaque suis homo captus est, quia & nouit & momordit.*

Sed instas, si nouit, quomodo mo-

mordit? quomodo captus est? & si captus est, quomodo nouit? Respondeo quia sic videt vt non videat, & sic capitur, vt in oculis eius tamen capiatur. Audi Christum in Euangelio clamantem, *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Vnde subdit Gregorius, *Cognouit prius quem pertimesceret, & tamen pòst non timuit, cùm in illo quasi escam propriam, mortem carnis esuriret,* id est auiditate nocendi nimiâ datus est in fraudem. Non est enim nouum vt mutuo sibi scandalo sint intellectus & voluntas, affectu iudicium peruertente, affectúmque iudicio, reciprocâ contagione. Id euidentissimè patet in Pharisęis. Quæro enim vicissim ex te, num ignorare poterant locum natiuitatis Christi, de quo interrogati ab Herode, responderunt ipsimet; *In Bethleem Iudæ sic enim scriptum est: Et tu Bethleem terra Iuda, &c.* Num illi tempus? num originem? num familiam nesciebant? num cętera vaticinia, cùm haberent in oculis Moysen & Prophetas? Omnino hæc omnia percallebant in vnguem, vt pote legis ac Scripturæ periti. Vnde ergo non credebant? *Quia,* vt ait D. Thomas, *etsi euidentia signa habebant,*

In 3. part. q. 67. a. 5.

tamen propter odium & inuidiam aßentire nolebant, vnde dictum, & odio habuerunt me gratis. Nam quia erant auari, inquit Lucas, *deridebant eum*, & rursus, quia gloriam ab inuicem quærebant, idonei mysterio fidei non erant. Hoc est, quia displicebat humilitas in Christo, sicut & paupertas, ideo repudiabatur humanitas, & non credebatur diuinitas. Nolebant enim humilem superbi, neque pauperem auari, & quia talem nolebant, alterum sibi pseudo-Christum & expetebant & expectabant. Ignorabant ergo verum, quia ignorare volebant, & sic videntes non videbant, & audientes non intelligebant. Vno verbo, non erat tanti bonum, quanti odium Christi.

Eodem planè modo dæmon, nam capiti quadrant membra, & quales illi, talis iste, cùm, vt ait Augustinus, talia sint organa, qualis organarius. Imò vniuersè dictum est de peccatoribus; *supercecidit ignis*, nempe malitiæ vel æmulationis, *& non viderunt Solem*. Denique omnis peccans, ignorans. Quomodo ignorans? quid? nescit se peccare Angelus, cùm peccat? nescit se gratis odisse Pharisæus, cùm odit? imò verò vterque malitiâ pec-

cat, & conſcientiâ legis ſupra modum. *Si non veniſſem*, inquit, *& opera in eis feciſſem qualia nemo, peccatum non haberent, iam verò excuſationem non habent.* Quid dicis? excuſationem non habent? alio dicturus loco, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Quid eſt hoc? ſciunt & neſciunt? excuſantur, & excuſationem non habent? accipe ſolutionem ex D. Thomâ. *Verum Dei Filium*, inquit, *cognouiſſe dicuntur*, nempe dæmones & Scribæ, quia euidentia ſigna huius rei habebant, quibus *tamen aſſentire noluerunt, vt cum cognoſcerent eſſe Filium Dei.* Nota. Cognouerunt. En ſententiam. Aſſentire noluerunt vt cognoſcerent. En affectatam ignorantiam. Et quæ mali cauſa? Propter odium & inuidiam. Vnde ſtatim ſubjicit. *Nunc autem viderunt & oderunt me. Per quod*, inquit, *oſtenditur, quòd videntes opera Chriſti mirifica, ex odio proceſſit, quòd eum Filium Dei non cognouerunt.* Antea dixerat, *cognouerunt.* Nunc concludit, *non cognouerunt.* Quia miro quodam modo peccans & cognoſcit & non cognoſcit. Cognoſcit quidem, alioqui non peccaret. Non cognoſcit autem, alioqui malum non amaret. Quemadmodum

ergo Scribæ Christum humilem, Christum pauperem & cognoscunt & non cognoscunt; ita Dæmones quoque. Non enim intrabat in vasa superbiæ tantum ac tale vas humilitatis. Sciebant hominem Christum, sed nesciebant aut potiùs scire nolebant Verbum vermem. Nouerant Redemptorem, cùm dicerent, *Scio te qui sis, Sanctus Dei*, sed ignorabant Redemptionem per Crucem, pérque Mortem. Imò Crux erat illis scandalum, sicut & Iudæis, erátque stultitia, sicut & Gentibus.

Exemplo confirmatur.
C. 11. de virtut.

V. Rem cape ab exemplo. *Proponatur* (inquit Præsul nomine Guillelmus, re alter Augustinus) *proponatur in Angelorum conuentu res in hunc ferè modum ab ipsomet Redemptore, qui sic dicat: Est fornicaria quædam in terris omni libidini prostituta, omni turpitudine coinquinata, cui fœditate nulla meretrix est comparabilis. Hanc volo ducere in vxorem, & constituere Reginam cælorum, & omnino mihi coæquare, & insuper eò vsque amare vt pro latrociniis ac turpitudinibus eius, crucis affigar patibulo. Si, inquam, ita proponeret, & huius, vt ita dicam, stultitiæ profundissimam & inuestigabilem sapientiam non reuelaret; & ipsum insa-*

insanissimum putarent, & dicerent vt Petrus, Absit à te Domine. Ecce scandalum vides ex cruce in Angelis, in Apostolis, in ipso sinu cæli : quantò ergo magis in dæmoniis, in sæculo, in inferno?

His ergo de causis ita seipsum exinaniuit vt falleret hostem, sed etiam vt ne falleret Patrem, atque adeo vt ne falleret suos; quod exponendum est nunc tibi.

VI. Habes enim hactenus, vnde sapientibus hoc sacramentum *vsquequaque* sit absconditum, vnde velatum. Superest vt discas vnde sit idem paruulis simplicibúsque reuelatum, vt aliquando cum Magistro tuo meóque non iam Scholæ Magister, sed discipulus illius, exclames: *Confiteor tibi Domine Rex cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis, ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Quasi diceret; edicti Regii seu consilij diuini si quæritur causa, non est alia quàm ista; *quoniam sic placitũ ante te. Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Duplex est, inquit, sapientia Dei, vna omnibus explorata in crea-

Quòd sit reuelatum paruulis.

Ff

tione mundi, secunda in mysterio abscondita sapientibus in redemptione mundi. Placuit ergo Deo per hanc saluos facere credentes, & non per illam. Quid ita? *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Et quomodo inquies? Audi quomodo. Si vi armorum vinceret homines, vt Cæsar, vel sapientiâ, vt Philosophus, vel carnis lenociniis, vt Magus; nihil erat in hac victoriâ valde mirandum, vbi cederet vel natura naturæ, vel fortuna fortunæ, hoc est minor maiori. Nunc autem nihil horum est. *Nam infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret.* Non Leo vicit Agnum, sed Agnus Leonem. Non itur ad solium, sed ad crucem, sed ad tormenta. *Venite*, inquit, *ad me*. Quid dabis? quid promittis venientibus? Crucem promitto, mortem propono. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Quid deinde? *& ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Tu trahes? tu omnia? quâ porrò vi? quibus armis? & quò trahes? Ego cruce, ego ad crucem exaltatus exaltabo, & traham

omnia. Quod dixit, id totum præstitit, & eo modo præstitit, quo dixit. En miraculum, en opus Dei. Ex hoc enim verè concludimus ita fieri non potuisse, nisi solâ virtute Dei. *Nam hic homo si non esset à Deo, non poterat facere quicquam.*

Vides igitur sapientiam Dei, quæ est abscondita in mysterio, reuelari paruulis, & per idipsum reuelari, per quod absconditur sapientibus. Ait enim: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis atque Gentibus Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Nec prædicamus modò, sed & sequimur. Nam vt aiebat ille: *Vita principis censura est, eáque perpetua, ad illam dirigimur omnes.* Dato enim, quòd Christum Dei virtutem, Dei sapientiam confiteamur, quid superest, nisi tanti Ducis & amor & æmulatio? Plinius in Panegyric.

Non ignoras contrariis contraria curari. Hæc ars. Scis etiam à lapsu primi parentis iacere toto orbe grandem ægrotum. Iam verò, si Christus extitisset, vel vt Salomon in solio, vel vt Crœsus in auro; quas ille faces ambitioni, quas auaritiæ suo non olim subdidisset exem-

plo? Nunc autem cùm apparuerit humilis in ſtabulo, ſublimis in patibulo, redimitus tempora non lauro, ſed ſpinis, omnes clamant; *Dominus meus crucifixus eſt, & ego voluptati miſer indulgebo? Ille propter me egenus factus eſt cùm eſſet diues, & ego cum ſim in peccatis natus totus,* & ſolâ miſeriâ tumens, opibus pauper, ſpectaculis nudus inhiabo?

Huc enim occurrit ineluctabile dilemma Bernardi de alterutrius errore, dico mundi vel Chriſti. Sic philoſophamur. Vel errat mundus, vel errat Chriſtus: atqui non errat iſte, quia ſapientia eſt Dei; ergo errat ille, quia ludibrium eſt & ſtultitia Diaboli.

Concluſio. VII. Intelligis iam, opinor, vtramque controuerſiæ partem hoc argumento concludi, pro cæcitate ſapientum & pro reuelatione paruulorum. Vides etiam hunc tibi quem antè miſeram à verme Phœnicem, nunc non à verme tantùm, ſed etiam à ſpynge rediiſſe rurſus in Phœnicem. Libet enim ad extremum téque méque ad tanti miraculi contemplationem, allegoriæ prægustatâ dulcitudine reuocare; dicente Paulo, *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non ra-*

pinam arbitratus est esse se æqualem Deo; hæc erat nimirum in splendoribus Sanctorum æterni natura Phœnicis. Postmodum ex illo factus est vermis. Ait enim: *Exaninivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Notat enim Augustinus vt ille Phœnicius vermis oritur sine coitu, ita quoque fuisse Natalem Christi Domini sine semine virili. Euasit igitur ex Phœnice vermis, quando Verbum caro factum est, quando nudum apparuit in præsepi, inerme, infirmum, tenerum, & vt ita dicam implume & sine alis. Vis autem videre, quomodo rursus è verme factus est Phœnix? audi quid sequatur? *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.*

Nam qui de Phœnice tractant, dicunt eum intra triduum renasci, tum volucrũ vndique quasi satellitio stipatam ad delubra solis agmine conferto reuolare, ibíq; quodam sempiterno Sacerdotio frui.

Alituum stipata choro volat illa per altum, Lactant.
Turbáque prosequitur munere læta pio.

Nimirum intra triduum Christus à morte resurrexit, inde iam Phœnix, iam ales, capitolio cæli seu templo pacis æternæ victor inuectus, inter aligeras cohortes, ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. *Quis* enim *ascendit, nisi qui descendit? Nos autem*, inquit Paulus, *cum illo rapiemur in aëra.*

Conclusio. IX. O te non Phœnicem modò, sed planè fœlicem si hæc sapis! si tibi, inquam, placet humilitas tua, si placet & Christi. Ascendimus enim, Alderice, nos omnes, vt ille, *super occasum*, hoc est morte vincimus nostrâ, patibulóque detriumphamus. *Hæc est enim victoria nostra, fides nostra.*

Quo fine, quo consilio scito missum à me tibi bis hunc Phœnicem, vt eo quo Christus modo, fieres primùm ex Phœnice vermis, tum ex verme Phœnix. Id est ex magno paruus, & iterùm ex paruo magnus. Hoc est mysterium incarnati Verbi, hoc emblema Christiani; descendit vt crescat; crescit vt descendat. Circumciditur, abbreuiatur, exinanitur, à Matre; exaltatur, coronatur nomen habet super omne nomen à Patre. Hoc inquam est tuæ simul & trophæum

virtutis, & exemplum vitæ: *Exemplum enim*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quod probat non tantùm exemplo, sed & argumento. *Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Intolerabilis enim impudentiæ est, vt vbi diuina maiestas sese exinaniuit vermiculus infletur & intumescat.* Ioan. 13.

Agedum ergo, mi dulcissime frater, enitamur ambo tam felicibus auspiciis ad hanc alitis æterni dico Christi, dico nostri Regis ἀνάςασιν. Instat præcepto, qui præcurrit exemplo. Multa dedit, multa promisit, & in isto Phœnice, quod solatio summo est, fabula non habet locum. Denique clamat; *Ego vici mundum*. Vale.

DISSERTATIO QVINTA.

De ſtatu corporis in cælo Beati.

Ad Emericum Theologum.

I. DICTVRO de ſtatu corporis in cælo beati, primum occurrit antiquum illud oraculum Prophetæ Ioëlis: *Et erit in die illâ, ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aqua, & fons de Domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* Quem enimuerò torrentem ſpinarum, niſi prout explicant Patres, corpus in hoc vitæ labentis ærumnoſiſſimo ſtatu, quo nunc eſt, fœlici fato transformatum in torrentem voluptatis, ex quo ſtillabunt montes dulcedinem, & per omnes riuos Iuda, hoc eſt per omnia latè membra, per & omnes animæ facultates ibunt aquæ, quia, quemadmodum ait Anſelmus, *Oculi, aures, nares, os, manus, guttur, iecur, pulmo, oſſa, medullæ,*

Ioel. 3.

Lib. de ſimilit. c. 57.

exta etiam ipſa, & cuncta ſigillatim, ſingu-láque membra eorum in communi tam mi-rabili delectationis & dulcedinis ſenſu re-plebuntur, vt verè totus homo de torrente vo-luptatis Dei potetur, & ab vbertate domûs eius inebrietur.

II. Sed ſuper hoc exoritur inter nos, Emerice, longè grauiſſima quæſtio, sítne corpus in cælo, quale nunc eſt, non modò vegetum ac ſpirans, ſed in deliciis etiam oblectamentíſque ſenſuum, & quibus? vtrum epulis vacet? & quo id pacto tandem? quæ ſit Agni cæna? quod manna Paradiſi Dei? qui denique fluuius fructúſque vitæ? Nam ſi dixerimus veſci, ſtatim obuerſatur animo ingerendi, digerendi, egerendi plurima turpitudo: tum eſuries, tum ſatietas; vtrumque faſtidio doloríque permixtum. Ad hæc parandæ erunt in cælo menſæ; prouidendi coqui, pincernæ, ſalmagarii, promicondi. Quid plura? ad operas reditur poſt ſabbatum, exhibetúrque beatitudo Mahometica, non Chriſtiana. Hæc tu mecum olim & ſæpe. *Status quæſtionis.*

Aliunde, ſi id negamus, en abſtemiam in cælo vitam, macilentam, inertem, ac ſine exercitio, ſine pulſu, ſine habitu, pro-

pè statuam: feriantur in cælo membra; nulla ibi voluptas; nam vt flos è gemmâ sic illa pullulat ex actu vitali, teste Philosopho. Nec enim aliter deliciari potest oculus nisi videndo, nec auris nisi audiendo, nec odoratus nisi odorando, nec lingua, nisi sapiendo, nec pulmo nisi respirando, nec postremò iecur aut cor, nisi sanguificando. Hîc autem vndique
Tertul. *vacatur ab officiis.* Non dentium, non palati, non esophagi, non stomachi vel jecinorts vsus vllus. Pulmonum dilatatio nulla, nulla venarum; cor in medio suspensum ac immobile quasi sub interdicto iacet. Circulatio sanguinis etiam nulla: nulla distributio spirituum, vel emissio, vel admissio. Quorsum enim, aut vnde fiat, cùm in corpore nihil fiat? Sítque totius animalis vitæ generale quoddam, vt ita dicam, *Iustitium.* Nouum ergo viuendi genus, nouum animal, cui nihil ex antiquâ vitalitate supersit. Hæc ego tecum olim & sæpe.

Ingens est itaque, vt vides, ac immensa quædam vtrínque difficultas. Cui superandæ breuis illa via est quam insinuat Beda super illa verba *Rabbi vbi habitas?* Nam, vt ait, *sermone explicari* [illegible] *potest,*

opere demonstratur: venite & videte. Hoc est, vt optimè Augustinus, *acquiri potest, æstimari non potest.* Verùm ocularis illa scientia non est huius exilii, sed patriæ tantùm. Nos interim amor immortalis beatæque vitę suâ luce cunctantes rapit. Quid enim? si patriam exul anhelans è longinquo salutat, si terrâ maríque mercator ambit, si captiuus in vinculis suspirat hæres, egóne solus hæreditatis immemor æternę, ad eam animo ac cogitatione complectendam vtcunque non incumbam? cùm Propheta dicat, *adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui Hierusalem.* Fateor, obscurę sunt, incertæque nostrę in hoc exilio coniecturę; sunt vtiles tamen, ac de alterâ vitâ bene speranti periucundę. Denique curiositas ista non reum, sed sanctum facit.

III. Ergo age pro viribus aggrediamur, ac ea stabiliamus imprimis, de quibus inter authores controuersia nulla est, quæ propterea possunt esse totius disputationis vtríque solidissima fundamenta. Sic enim pedetentim ad ipsius adyta veritatis optantibus inquirentibúsque tutissima via pandetur. *Tria præsupponenda.*

Esse in secessu mundi procul ab oculis *Primum.*

hominum & longè super astra sitam vrbem, quam *Empyreum* vocant, eámque viis, palatiis, ac omnibus ad vitæ commoda facultatibus instructissimam, est omnium certissima fides. Ibi cælum nouum, terram nouam, liquidissimum etiam ætherem aëris adinstar nostri fusum æquabiliter vndique ac omnino spirabilem, docent Basilius, Ambrosius, Damascenus, Thomas, Richardus, cæterique. Ibi prata, nemora, fluuios, & vera poma. *Quid enim*, inquit Cornelius, *obstat? aut hæc in Paradiso terrestri si creduntur extitisse, cur non & in cælesti, cuius illud erat specimen ac imago tantùm?* Audi suspirantem Augustinum.

In c. 22. Apoc. vers. 3.

L. Medit. c. 26. tom. 9.

Ad perennis vitæ fontē mens sitiuit arida
Vbi viuis margaritis surgunt ædificia,
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur,
Auro mundo tanquam vitro, vrbis via sternitur,
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuū,
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum,
Inhiantes semper edunt, & edentes inhiant.

Quibus, inquit Cornelius, *verbis significat ibi fore res floridas, odoriferas, amœnas, quæ visum, odoratum, aliosque sensus pascant, & mirâ voluptate perfundant.* Idem Augustinus epist. 250. sic iterum habet: *In illâ ciuitate Sanctorum voces corporales, non latentes animos indicabunt..... Erit consonans in Dei laude concordia non solùm spiritu, verùm etiam spiritali corpore expressa. Hoc mihi videtur.*

IV. Hic est igitur ille sinus, hæc antiquissima mundi renascentis olim, ac suprema statio. Ibi porrò beatorum corpora non pauimento, vt nunc, solóve adhærescentia, non equo insidentia, non in sublime thensâ pilentóve sublata, vel capitolio triumphalibus inuecta quadrigis, vt quondam, *Angelus enim non dicit, Sterne.* Neque amplius vt ignominiç vasa cum perizomatibus, aut *pellita rursum orbi tanquam metallo data*; sed ipsâ suâ nuditate gloriosa, nunc pendula cælo, medióque in æthere librata, ceu fulgentissima sydera ferri, nunc in balneis delubrísque voluptatis, vitales inter vndas innare more delphinum, nunc contrà flammeos inter vortices, vt in fornace Babylonis, obambulare vegetos & inco-

Secundum.

Aug.

Tertul.

lumes. Esse enim omnibus elementis, aquis flammísque superiora. Nihil immortalibus officere, aut incommodo verti. Postremò omnibus omnium sensuum membrorúmque deliciis longè latéque circumfluere.

Lib. de discipl. & perfect. monasticâ. c. 23.

Caro spiritualis effecta (cito Laurentium Iustinianum) *per omnes sensus suos multimodis exuberabit deliciis: delectabitur* OCVLVS *in amabilis Redemptoris aspectu, cùm videbit Regem in decore suo gloriâ ornatum ac diademate redimitum, quo coronauit eum Mater sua. Melodica cantica ciuium supernorum non mediocriter mulcebunt* AVDITVM. *Flagrans quoque suauitas cælestium odoramentorum liquefactione resperget* ODORATVM. *Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium, mellifluâ quadam & iucundâ satietate* ORIS *saginabit* PALATVM. *Ipse demùm* TACTVS *sibi congruis abundat deliciis, quas experti narrant.* Deinde rationem ita subiungit. *Fas etenim non est, vt in cælorum gloriâ quicquam vacet à Dei laude, quin potiùs iustum vt cuncta corporis membra suum efferant Conditorem. Quatenus sicut ab ipso sumpsere principium, ita & in illo deducant suæ beatitudinis finem, vt sit Deus omnia in omnibus.*

Hoc ipsum egregio probat argumento Suarez in hunc ferè modum. Huiusmodi, inquit, deliciæ neque repugnant ex parte actûs, cùm ipsæ decentissimæ sint ac humanæ naturæ maximè consentaneæ, neque ex parte obiecti, cùm in cælo non desit vnquam vnde promanent. Egredietur enim fons de domo Domini, de sub pede Agni; fluuius, inquam, æterno perennique cursu. In 3. part. disp. 47. sect. 6.

V. Hîc non ignoro, quid, Emerice, soleas obloqui. Negas voluptatem ex cibo percipi posse sine dedecore incommodóque tanti statûs. Hæc est immanis illa tua decantata querela; cui, vt aliquando faciam satis. *Tertium.*

Nota tribus potissimum modis id confieri posse: ac primò quidem per infusionem qualitatis opimæ ac voluptariæ; *neque enim difficile Deo*, inquit Suarez, *facere, vt aliquis sapidus humor sit intra organum gustûs, qui sensum illum possit intentionaliter afficere, vt D. Thomas dixit.* Sic ille de palato, quod tu ad cæteras æquè partes, quæ nutritioni subseruiunt, extendi posse, facilè, etiamsi non dixero, vides. 2. modo per intimam intra viscera cibi potúsque traiectionem, cuius In 3 part. disp. 47. sect. 6.

ipsa deinde materia per poros adinstar odoriferi suffitûs exudet; qualiter esse factum in comestione Christi post resurrectionem nemo omnium ignorat. 3. per veram vitalémque nutritionem. Quod rursus accidere bifariam potest; nempe vel conuersione cibi in sanguinem tantùm immutatâ carne, vel in carnem etiam ac substantiam Beati transmutatione totali, quali comedisse Christum à resurrectione Durandus est author. Quanquam id & in Beatis & in illo non fiat *egestate sed potestate*, neque vt remedio, sed vt deliciis sit locus. Sunt enim ex Platone duo genera voluptatum; aliæ sunt impuræ mixtæque dolori, vt potus in febri, aliæ limpidissimæ ac sapidissimæ, quas virtutis aut sanæ naturæ *pedissequas* vocat, vt est saccari gustus. Esse igitur epulas in cælo sine fame, sine fastidio, sine defectione suauissimas: eas autem ex arboribus fluuióque vitæ semper esse parabiles, semper ad manum. Imò ipsum illum, quem diximus æthera, fusum adinstar aëris ac spirabilem insinuare sese venis, ac velut ambrosiam ac inexcogitabile quoddam nectar infundi penitus, sic vt nec desit vnquam, nec redundet tamen

In 3 part. dist. 22. q. 6.

men. Est enim beata vita, ceu flumen vndequaque semper æquabile, nec redundans ripis, nec rursus suo littore minor. Nam, vt ait Augustinus, *caro nostra fluuius est*, sed ille in cælo fluuius alueo currit vtrinque pleno semper.

VI. His ita constitutis; nunc horum trium quid maximè placeat, aperiendum est tibi. Ac verò de primo modo seu qualitate membris infusâ, res est exploratissima ac planè sine dubio. Quacunque enim tandem viâ torrens ille voluptatis influat, eius haberi sensum per qualitatem saltem intentionalem, vt vocant, omnino necesse est. Audi, quæso te, quàm acriter, quámque gnauè probet id Anselmus exemplo. Statuit inprimis esse duas, vt miserias, ita beatitudines, minorem in terris, in cælo infernóve maiorem. Ac miseriam quidem inferorum satis supérque nobis esse perspectam ex ærumnis, quas hîc cogimur pati: Sensum enim aperiri sensu. Verùm ipsam cæli beatitudinem maiorem prorsus ignotam euadere, quòd vetus illa minor paradisi ab oculis animóque multò antè recesserit, posse tamen vtcunque contrariæ miseriæ similitudine repræsentari. *Sit*,

Prima Conclusio.

Lib. de similit. c. 57.

inquit, *homo positus ante oculos, cui infixum sit ignitum ac candens ferrum in ipsas oculorum pupillas, tum in vbera, papillas, costas, tum in ima viscera tanto in singulis membris cruciatu, quanto in pupillis. Enimuerò quàm immane tormentum nemo non videt. Age, sit, inquit, eodem modo, sed planè contrariâ consideratione delectatio quædam ineffabilis, omnibus ac singulis membris in communi sic infusa, vt illud erat tormentum. Ecce in tali casu voluptas inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili exundantiâ satiabit. Quid dixi totos? oculi, aures, os, manus, guttur, iecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta sigillatim singuláque membra eorum in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, vt verè totus homo de torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.* Sic Augustinus. Vbi vides id intelligi ac probari per qualitatem voluptariam oppositam doloriferæ. Sicut, inquit, dolor in inferno vniuersa latè membra populatur, ac absinthij spinarúmque torrente inebriat; similiter in cælo voluptas, vt torrens, inundat, totúmque beatum immensâ quadam dulcedine perfundit. Eodem Suarez vtitur

argumento. *Si enim omnes*, inquit, *in damn... sensus torquentur, cur iidem in beato voluptate non possint pariter affici? aut quare sicut ignis sensibilis ita grassatur, vt omnia membra peruadat, ex quo summo dolore sensibili afficitur; non etiam corpus gloriosum multò magis percipere poterit aliquod obiectum, quod purissimam aliquam voluptatem parare possit?* De hac, inquam, qualitate in vniuersum ita sumptâ nemo dubitat. In 3. part. disp. 47. sect. 6.

VII. Sed quæritur ea quâ demùm ratione subministretur à Deo? supernaturalíne? sic vt diuinitùs ac miro quodam modo ex nihilo procreetur in membris? an contra per sensus & obiecta, modo naturæ consentaneo, quali solemus hîc, & qualem antè depinxi. Quâ in re iamdudum in eâ sum opinione, vt putem infundi posse quidem ineffabilem illam dulcedinem à Deo diuinitus, & vt loquuntur, immediatè, & id reuera fieri nonnunquam, cùm ita voluerit Beatus; fieri tamen vt plurimùm in genere per sensûs & obiecta in specie per ipsum esum. *Secunda Conclusio.*

Ac verò, quòd interdum fiat à Deo immediatè, ratio est manifesta, ne vita

Beati pendeat iterum à materiæ seruitute. Nam eam esse planè liberam à respirandi, comedendi, denique corpori ministrandi necessitudine confitentur omnes. Ex quo etiam intelliges, quid eis respondendum sit, qui Tertullianum cæterósque Patres aduersùm nos citant. Nihil enim aliud dicunt nisi corpus esse liberandum ab *Officiis*, hoc est à necessitate. Quia vt optimè Augustinus l 13. de Ciuit Dei c. 22. *non potestas sed egestas edendi talibus corporibus auferetur, quoniam certo & omni modo inuiolabili munere immortalitatis induentur, vt non, nisi velint, possibilitate non necessitate vescatur.* Quod autem vt plurimùm non immediatè à Deo fiat, probatur ex eo, quòd voluptas illa sic infusa miraculo ac præter naturam insideat membris, neque more procuretur humano. Porrò videtur ita resurrectionem fieri oportere, vt sublatis incommodis eadem sit vitæ ratio, quæ erat antè. Alioqui non resurget antiquum animal, sed fiet nouum. Quid quod inertes, ociosæ, ac propemodum superuacaneæ videbuntur omnes illæ partes quibus nutriri solemus? Mirus es, Emerice, vis in resurrectione reddi nobis *vsque*

ad numerum capillorum, non vis reddi Aug.
motum arteriarum, venarum, cordis, hepatis, totius denique vitæ? de capillo sollicitus, de capite fontéque vitæ minimè curiosus, hoc est auarus in paruo, prodigus in summo. Si capillum seruat, inquit Augustinus, quantò magis caput? Accedit quòd ille modus supernaturalis, sicuti naturæ minimè respondet humanæ, ita neque Scripturæ diuinæ, quæ voluptatem cæli, quæcunque sit illa tandem, conuiuio, cænæ, mannæ, fructibus, fluuióque vitæ, postremò ebrietati comparauit. Atqui patet nihil horum haberi propriè per qualitatem supernaturaliter infusam, nisi sensu quodam allegorico ac diminuto. Cur enim conuiuium aut cæna dicatur potiùs quàm theatri scena, vel quidlibet aliud planè non video. Diximus ex Patribus ibi veras esse arbores, & naturales verósque fructus. Quorsum autem illa, nisi vt comedantur? sicut enim finis arboris est fructus, ita finis fructûs est esus. Concluditur ergo veram esse quoque comestionem ex proprietate verborum, quæ in historicâ præsertim narratione retinenda est, si nihil obstat: nihil autem obstare, & iam patet, & pa-

tebit iterum multò amplius ex argumentorum solutione.

Præterea celebris est & peruulgata Patrum opinio, quâ putant corpora beatorum in cælo suauissimum ex sese semper odorem exhalare. Quòd si nihil vnquam ingeritur, vnde quæso tandem illius exhalationis odoræ sempiterna perpetuáque materia? Omnino vel illa corpora macilentiora fieri ac quodammodo strigosiora continuâ membrorum euaporatione necesse est, vel certè aliunde suppleri. Scio poni in Beatis à D. Thomâ odorem sine vllâ euaporatione, sed hic modus pręter naturam est & nouo miraculo fit. Postremò docent Patres Paradisum terrestrem cælestis imaginem esse; Adam enim, vt ait Ambrosius, nihil aliud *quàm illius pretiosa pictura fuit*, & vt Nilus, σκιαγραφία, hoc est rudis ac prima beatę vię delineatio. Quemadmodum ergo procurata est immortalis Adamo beatáque vita per esum, ita & nostra quoque; ita tamen, vt ille habeat pomum vitę, nos fluuium; ille stillam voluptatis, nos torrentem; ille addictus arbori comedat egestate, nos liberrimâ potestate, vt qui & vescendo & non vescendo immortales simus.

Equidem, vt ingenuè fatear, his olim inductus rationibus, assentiebar huiusmodi cęli delicias fieri posse per veram vitalémque nutritionem, vt in Adamo quondam, cuius incorruptio atque immortalitas alteratione cibariâ non impediebatur. Quanquam enim fieret in eius corpore nonnulla corruptio, conuersione seu transmutatione cibi, quia tamen illa reparabatur non ad integritatem modò, sed ad voluptatem etiam, sine senio, sine defectione, sine imminutione vel ætatis, vel roboris, vel etiam formę; hinc adiumento potius esse, quàm detrimento mihi videbatur. Erat enim ille motus quasi vehiculum fœlicitatis, cùm nulla sit voluptas, ex Aristotele, sine vitali motu: erat denique vt contrarietas ac pugna partium in harmonico concentu. Putabam ergo simile quippiam afferri posse de cęlesti vitâ, pręsertim si quod ibi tantùm inchoatum est, hîc omnibus, vt dixi, numeris absolueretur; si pleno semper alueo eodem tenore curreret immortalis incorruptáque vita, si sine labore influeret in os atque stomachum suo ipsius nutu nectar illud atque Ambrosia cęli, nemine cogente; cor-

púsq; Beati velut *inconsumptibilem quandam* lucernam haberet oleo balsamóque semper plenam.

Disputabam etiam id fieri posse solius sanguinis immutatione, qui cùm sit naturâ fluidus, & in continuo velut æstu, non est in eo vicissitudo seu successio magis mira quàm in fluuio. Denique quid est viuere nisi moueri? aut quis in horologio momenta velit, & rotas immobiles? Hęc erat, inquam, tum opinatio mea, sed quoniã nescio quo modo refugiunt aures ab illâ tot expetendâ causis alteratione, propterea repudiatis hisce duobus philosophandi modis, media nobis via tenenda est, quę voluptariam illam qualitatem retinet quidem, sed eam procurat cibo membris infuso, *sine immutatione Beati*, cùm vt optimè probat D. Thomas hæc duo separari possint.

Tertia Conclusio. VII. In hanc ego mentem adducor, quòd iste modus vt probaui, sit & Scripturę maxime consentaneus, & naturę. Dico Scripturę, quia vocamur ad cęnam Agni, quia manna promittitur, & arbor vitæ, & fluuius, & torrens voluptatis, & ebrietas. Dico naturę, quia fit modo intimè vitali, ac partium organicarum

maximè proprio. Siquidem vt est oculi proprium videre, atque auris, audire, ita palati, gutturis, esophagi, cęterarúmque partium internarum proprium est comedere, glutire, cibum amplecti, eóque irrigari penitus atque perfundi. Sicut ergo nemo oculum in cælo patitur orbum lumine & visione, neque aurem orbam similiter auditione; ita neque has oportet esse partes exercitio suę vitę destitutas; cùm in talibus officiis, earum sit naturalis ac genuina sita voluptas. Postremò ad hoc etiam authoritas Patrum plurimùm confert. Nam vt ex Augustino vidimus, poma floridorum non lapsura nemorum inhiantes semper edunt, & edentes inhiant. Ex Laurentio Iustiniano, indicibilis dulcedo melliflua satietate oris saginabit palatum. Ex Anselmo, os, guttur, iecur, &c. mirabili dulcedinis sensu replebuntur. Ex D. Thomâ, gustus, secundùm quod est sensus alimenti (seu nutritionis) non erit in actu, sed secundùm quod est indicatiuus saporum. In supplem. 3. part. q. 82. a. 4. ad 2.

Adde his Scholasticos, Durandum, Suarem, Lessium, Cornelium, Barradium, &c. Nam etsi negent ibi fore comestionem, id intelligunt, vt patet ex

argumentis, de comestione alimentariâ seu nutritiuâ, aut alteratiuâ. Cæterùm omnes fatentur omnia Beati membra, multóque magis sensus summâ voluptate fruituros. Vt enim argumentatur D. Thomas; *viciniùs se habent ad animam, potentiæ sensitiuæ quàm corpus, sed corpus præmiabitur vel punietur propter merita vel demerita animæ, ergo & omnes sensus in Beatis præmiabuntur, secundùm delectationem quæ in operatione sensus consistit.* Hanc autẽ operationem fieri per obiecta sensuum, probat Suarez hac supradictâ ratione. *Quòd in cælo non desit vnquam, vnde promanent.*

In 3. part. disp. 47. sect. 6.

Obiectiones.

IX. Placet, inquis, at vereor incommoda comestionis. Quæ? Famem in Beato? Plenus est semper, vt audisti. Fastidium? non redundat. Fæces? nihil coinquinatum intrabit in eam. Illic omnia munda multò magis quàm in paradiso. Vno verbo, cibus est immortalis vitæ, *escatilis pluuia*, vt cum Tertulliano loquar. Disce ab exemplo Christi resurgentis: Est enim mensura omnium Beatorum. Ecce verè comedit, veréque traiecit in corpus. Verè saporem cibi percepit; an propterea digessit aut egessit? Vt ergo Christus, ita Beatus agere pote-

rit in cibum natiuâ virtute, nihil ab ipso cibo repassus, propter impedimentum qualitatis positiuæ, per quam reddetur impassibilis. Sunt enim duo longè diuersa; calor qui alterationem parit, & sapor seu qualitas intentionalis, quæ delectationẽ. Fateor, hæc duo non separantur in homine corruptibili vtriusq; capace; separantur in incorruptibili tamen, vnius capace tantùm. Sicuti lux & calor non separantur in terris, separantur tamen in cælo, vbi lux est sine calore. *Quia hæc*, inquit Suarez, *non habent ordinem inter se, sed concomitantiam tantùm.*

Instabis, In Christo resurgente comedendi fuit iustus & honestus finis, nimirum vt resurrectio probaretur: At hîc, vbi nutritio nulla est, non quæritur nisi voluptas, facinus inuerecundum. Vt ergo voluptates illæ, quæ generationi seruiunt, exulant à cælo, propterea quòd earum finis exciderit; ita quoque sunt abjiciendę, quę nutritioni, iam fine sublato. Respondeo longum inter hęc duo, latúmque esse discrimen: Illic enim obscęnitatis omnia sunt plena, motus inhonesti, turpes, exleges, turbulenti, libidinosi; Hîc autem nihil non decens, nihil non legi rationíque subiectum. Denique vo-

luptas est purissima & sine morbo. Prę-terea libido nec natura est, nec naturę, nisi fortè corruptę: quippe innocens vita Venere prior est & posterior: at animal sine cibo vitalíque motu nullum est. Itaque quęritur non solùm voluptas, sed & vita; imò & amor & gloria Dei in incremento vitę beatę. Ait enim Sponsa: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, hoc est fulcite, stipate vt plus amem. Sic enim se habet, vt quò maior est beatitudo corporis, eò sit & maior animę vicissim, reciproco partis vtriusque subsidio.

Ad extremum, è duobus istis alterum Scriptura negat, alterum asserit vbique. Dictum est enim; *neque nubent, neque nubentur*, sed non est dictum, neque bibent, neque vescentur; imò è contrario ibi cantatur: *Inebriabuntur ab vbertate domus tua, & torrente voluptatis potabis eos.*

Conclusio. X. Vides ergo cur ex hisce duabus voluptatibus vna retinenda sit in cęlo, altera fugienda. Quòd si partibus illis non aliud quęreretur nisi inuictę prę-mium honestatis: non est dubium quin & virgo & virginitas ipsa tanto maioribus affluat olim deliciis, quantò grauius illi fuit hac parte certamē. Hęc est enim-

ut o aureola virginitatis. Et *quæ inhonesta* , *:nt nostra, abundantiorem honestatem habent*, inquit Apostolus. 1. Cor. c. 12.

Restat adhuc vnum, quod vt memini, vehementer vrgebas Ex dictis enim fatebare Beati carnem hac edendi ratione non lædi; sed instabas ipsum illum cęli cibum, quicunque sit, aut non comedi, aut certè consumi. Nam si traiicitur tantùm vt aureus numus, hoc non est vesci; sin autem consumitur, ergo fit in cælis, huiusmodi substantię consumptio seu corruptio, quod est inconueniens. Respondeo nec sequi quòd fiat, nec esse inconueniens si fiat. Dico non sequi quod fiat, siquidem à resurrectione Christus, nec comedens consumit, nec comesus consumitur. Exemplum de aureo numo facilè refellitur. Nam aliud est traiici numum, aliud cibum, quem ore gustes, stomacho glutias. Dico nec esse inconueniens, si fiat, quia vt optimè Barradius, *Huiusmodi corruptiunculas* (sunt eius verba) *non est absurdum cum tanto Magistro D. Thomâ concedere in cælo Empyreo, quod ad habitationem hominum conditum est.* Tom. 3. l. 10. c. 3.

Dic, amabo te, si veræ sunt arbores veráque in cælo poma, singulis nascentia mensibus, vt ait Ioan. vbi inconsum-

pta recondentur post tot annos? & cui tandem vsui? Accipe ex Augustino. *Pendent*, inquit, *floridorum poma nemorum, inhiantes semper edunt, & edentes inhiant*. Et iterum. Ep. 150. *Nec isto quo nunc indigent corruptibili cibo tunc indigebunt, nec tamen eum capere non poterunt, veracitérque consumere potestate non necessitate*. Ita Paulino respondet sciscitanti de statu corporis in cęlo gloriosi. Miraris, Emerice, pomum, vel illam quam diximus ambrosiam in cęlo consumi, ínque vaporem odoriferum qui à corpore Beati profunditur, identidem resolui: hoc, inquam, stupes, tanquam incorruptionis loco repugnans; mirari debes igitur ibi fluere fluuium, ibi nasci poma, ibi pluere manna, ibi sonum edi à cantantibus, speciem à spectantibus, sonum & speciem interire, nec speciem modò siue *impressam* siue *expressam* à sensibus, sed etiã ab intellectu tum humano tũ etiam angelico. Postremò ibi vitã esse animalem, hoc est essentialiter, vt philosophicè loquar, fluxã ac successiuam. Omnis enim actus vitalis est in motu, sicut & omnis voluptas, etiam angelica. Nam ex Aristotele κίνησις ἡδονή. Quòd si visionem in cælo beatificam, qui est cibus animæ, fatemur in momenta

L. 6. Medit. c. 26.

consumi, quid est quod vsque adeo miraris cibum corporis attrahi in viscera Beati, commoueri, rarefieri, resolui etiam in suffimentum, ac miro odore perfundi, quocunque tandem id modo fiat? Circulationem admittit Suares aëris in corpore beatifico innati seu congeniti, quam putat ad organicæ vocis efformationem omnino necessariam; quidni similiter ergo sit illius æthereæ substantiæ, quæ sic resoluitur, vltro citróque commeantis intra corpora perpetua quędam suauissimáque vicissitudo? Ex quo facilè respondebis argumento Guillelmi Parisiensis qui sic obiicit: Omnis motus *in potentialitate est ad aliud*: est enim via ad terminum; vnde quamdiu Beatus est in motu, viator est, non comprehensor. Ad hoc, inquam, respondebis quòd vt in flumine motus seu fluxus locum habet quietis, cùm eius sit natura vt fluat, ita & in animali; non enim viuit nisi motu seu circulatione sanguinis; denique ipsa fruitio, comprehensióque motus est. Sed hactenus ista, sub Ecclesię Doctorúmque judicio censuráque sint à nobis non tam asserta quàm exposita. Vt concludam.

X. Habes à me, vir erudite, quod tibi promiseram, epulum Beatorum, torren- *Conclusio.*

tem, inquam, voluptatis, ex torrente spinarum, flumen inundans ex vtrâque ripâ plenum, vidisti spem, vidisti rem; spem in Adamo, rem in Christo, in vtroque conuiuium immortalitatis initio & fine, in illo fructum vitæ & mortis, in isto nonnisi vitæ. Superest, vt quomodo cæpimus, ad illas sempiternas dapes ambo suspiremus. O vitę flumen æternę! O famem sine fame! O sitim siti desiderióque satiandam! O cursum Agni virginibus puerísque magnum! O canticum quod nemo cantat nisi virgo! O fontes de Domo Domini verè perennes! Heu nos, Emerice, super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, in salicibus, scis vbi, scis quando simul vterque mundo valedicentes suspendimus organa nostra. In salicibus, iterũ scis vbi, scis quando iuxta Carthusiana pomœria simul exspatiantes simul ista philosophati, longo acríque certamine ad præterlabentem sacerrimę domûs riuum disputabamus. Ex illo tristes, muti, jeiuni, jamdudum mœremus. Sed noli diffidere. Epulum illud ieiunio, canticũ silentio, gaudiũ mœrere acquiritur. Tantùm vt ego perseuerem, orâ, sicut vt tu perseueres, oro. Vale.

Laus Deo Virginique Matri.

FINIS.

INDEX CAPITVM.

DISPVTATIO PRIMA.

De cultu & Inuocatione Sanctorum.

PARS TERTIA.

De calumniâ nimiæ Religionis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De purgatorio apud inferos igne.

PARS PRIMA.

Curam pro mortuis authoritate niti & ratione, eámque procul ab omni crimine abeſſe.

PARS SECVNDA.

Curam pro mortuis esse perutilem ac meriti plenam.

DISPVTATIO TERTIA.

De Verbo Dei.

PARS PRIMA

Aduersarijs verbum Dei nullum esse.

485

PARS SECVNDA.

Ecclesiæ Romanæ conformitas cum hoc charactere.

PARS TERTIA.

Quanta sit Ecclesiæ dictæ reformantis ab hoc Euangelico charactere difformitas.

DISPVTATIO QVINTA.

De Eucharistiâ.

INDEX

PARS PRIMA.

De Sacramento.

PARS SECVNDA.

De Sacrificio.

DISPVTATIO SEXTA.

De Libertate contra nouum Philosophum.

CAPITVM.

PARS PRIMA.

Stabilitur humana libertas acerrimis Orthodoxorum argumentis.

PARS SECVNDA.

Fit argumentis aduersarij satis.

FINIS.

Summa Priuilegij P. Prouincialis.

NICOLAVS ROGER Prouincialis Societatis IESV, in Prouinciâ Campaniæ, iuxta facultates concessas à Regibus eidem Societati, permittit Bibliopolæ quem designabit P. IOAN. BAPTISTA COMITINVS ex eadem Societate, typis mandare ac diuendere librum, cui titulus est, *Selectæ de Fide Controuersiæ*. Datum Mussiponti 20. Ianuarij, anno 1665.

Permission de Monsieur le Lieutenant Ciuil.

IL est permis à IEAN HENAVLT, Maistre Imprimeur, & Libraire-Iuré à Paris, d'imprimer, ou faire imprimer vn Liure Intitulé, *Selectæ, de Fide Controuersiæ. Auctore R. P.* CÆSARE IO. BAPTISTA COMITINO, *Theologo Soc.* IESV. Et defenses à tous autres de l'Imprimer vendre & debiter, sans le consentement dudit HENAVLT, à peine d'Amende arbitraire, & de tous despens, dommages, & interests. A Paris, ce 7. Decembre 1664.

Signé, D'AVBRAY.